IN DUAS
CELEBERRIMAS EPISTOLAS
SS.^M FIRMILIANI,
ET
CYPRIANI
ADVERSUS DECRETUM
S. STEPHANI PAPÆ I.
De non iterando Hæreticorum Baptismo.
DISPUTATIONES CRITICÆ,

Quibus unam, & alteram a Donatistis fuisse confictam nunc primo demonstrat

FRATER RAYMUNDUS MISSORIUS
FRANCISCANUS CONVENTUALIS
Pro Serenissima Veneta Republica Revisor Publicus;
Romanique Cœnobii S. Dorotheæ trans Tiberim
Alumnus.

Quamquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub ejus nomine a præsumtoribus, atque mendacibus fuisse confictum. S. Augustinus Epist. XCII. Ad Vincent. Rogat. al. XLVIII.





VENETIIS, CIƆIƆCCXXXIII.
Apud FRANCISCUM PITTERIUM Bibliopolam ad Signum Fortunæ Thriumphantis.
SUPERIORUM FACULTATE.

ILLUSTRISS.mo, AC REVERENDISS.mo

DOMINO

D. DOMINICO PASSIONEO

ARCHIEPISCOPO EPHESINO

SS. D. N.

CLEMENTIS XII.

PONT. OPT. MAX.

Prælato Domestico, & Assistenti, Ejusdemque, ac Sedis Apostolicæ nomine apud S.C.C.M. Carolum VI. Romanorum Imperatorem, atque Hispaniarum Regem, & per universam Romani Imperii ditionem cum facultate Legati de Latere Nuntio.

FRATER RAYMUNDUS MISSORIUS

F.

QUæcunque justis, gratisque Scriptoribus caussæ unquam fuerunt multæ, ac permagnæ, cur lucubrationes suas Viris Principibus nuncuparent, his ego prorsus adducor, ut Criticas hasce Dissertationes in S.m Cypriani, ac Firmiliani Epistolas tibi inscri-

bam Viro Clarissimo juxta ac Rev.^mo Sive enim spectes observantiam erga te meam; sive benevolentiam erga me tuam, sive argumenti novitatem, magnitudinem, atque utilitatem, respondent isthæc humanitati, sapientiæ, atque amplitudini tuæ. Enimvero cohærerent omnia probe, ni unum deesset, quod tibi maxime inest, nimirum doctrina; quamquam ne hanc quidem defuturam confido, si quæ a me implexe, atque imperite sunt disputata, facundia tua illustraveris, eruditione confirmaveris, divinoque ingenio tuo pene ad vitam revocaveris. Ea quoque me spes magna recreat, quod expertus noverim, quantum suavissimo Cypriano delecteris, cujus adeo & eloquentiam prædicas, & admiraris doctrinam, & recolis sanctitatem. Ex quo illud spero confore, ut mea hæc vestigatio, si nihil aliud consequatur, nisi dubitationem tuam irritet, stimulosque Tibi ad suspicandum adjiciat, & SS.^m Cypriani, ac Firmiliani vendicias per te ipse dicas, tunc enimvero serio triumphabit. De me interim ita existimes velim Vir Rev.^me, nil mihi optatius contingere posse, quam ut Deus Immortalis, qui te summo Ecclesiæ bono vocavit in Evangelium suum, diutissime sospitem servet, atque felicem.

Venetiis ex Ædibus Magnæ Domus Kalendis Martii Anno Æræ Christianæ CIϽIϽCCXXXIII.

PRÆ-

PRÆFATIO.

DUram cepi provinciam, aleæque plenam, vendicias SS.m Cypriani, ac Firmiliani in quorum nomine Rebaptizantium macula penitus jam insedit, atque inveteravit. Nondum nostræ excusæ erant dissertationes, quum homines, neque oscitantes, neque imperiti, susceptum, vulgatumque argumentum nunc mordere clanculum, nunc etiam palam improbare. Sed caussa erat ejusmodi, ut & benevolos objurgatores placare, & invidos vituperatores confutare possem; ut alteros reprehendisse pœniteret, alteri se didicisse gauderent. Rebaptismum Cypriani, ac Firmiliani SS.is Ecclesiæ Patribus græcis, latinisque compertum: novam eorumdem defensionem Majoribus nostris per sæcula XIV. inexpertam, ac desperatam: subitam, inauditamque controversiam Criticis melioris notæ intentatam identidem objiciebant. Ego vero quum minime videbar, tum maxime reponebam; nam quod à viris doctis, atque eruditis talia jactari persentiscerem, acutiores id mihi quidem stimulos adjecit ad caussam jam tum incœptam accuratius pertractandam; quod

an reapse præstiterim iidem ipsi nunc videant, qui antea præpostere judicabant. Neque enim me tanti amo, ut sententiam meam sapientum judicio anteferri velim, quandoquidem non rixandi libidine, sed veri inquirendi studio ad hanc disputationem accessi. Sed si in eo disputo, argumenti novitatem non eam mihi visam fuisse, quæ me ab incœpto revocaret, nemini sim injurius; siquidem ex Tullio jampridem didiceram, apud animos anteceptos *tantum opinionem præjudicatam potuisse, ut etiam sine ratione valeret auctoritas ... Non enim* [proxime prædixerat] *tam auctoritatis in disputando quam rationis momenta quærenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur; desinunt enim suum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident*: Tametsi non video ecquam mihi auctoritatem firmam, ratamque objicere possint ad confirmandam Cypriani, ac Firmiliani jactatam de Anabaptismo sententiam Augustinus enimvero dubitat, qui, quum affirmat, in hypothesi hoc agit Donatistarum: Eusebius imponit: Reliqui vero, qui Eusebium, atque Donatum sunt consecuti, tum græci, tum latini Scriptores, Basilius, Hieronymus, ac Vincentius Lirinensis, aliique bene multi, illi ab Eusebio decepti sunt, hi vero à Donatistis.

Qui autem requirunt, ecquæ mihi oblata sit occasio ad hanc suspicionem concipiendam, maturandamque, curiosius id faciunt, quam necesse

ſe eſt. Sed tamen libet eorum obſequi voluntati. Ante annos ſex, quam haſce diſſertationes elucubravi, Diatribam paravi, in quæ S. Cypriani mentem de Romani Pontificis primatu expendendam ſuſceperam, quam in Acroaſes diſtributam in frequenti literatorum hominum cœtu ſtatis Academie temporibus Venetiis pronunciavi. Jamque illam in lucem prodere cogitanti, viſum eſt accomodatum hominem mihi amiciſſimum, atque ut ſi quis alius, eruditiſſimum ſciſcitari: an quiſpiam alter ante me hoc ipſum ſuper Cypriano ſibi ſumſiſſet? Negavit vir rei librariæ peritiſſimus, is erat Thomas Maria Minorellus Ord. Præd. Bibliothecæ Caſanatenſis primarius Cuſtos, quem ego pietatis, & honoris cauſſa nomino. Placuit reſponſum; ſed magis profecto diſplicuit, quod inter percurrendum Pamelii notas ad Epiſt. LXXI. offendi. Didici namque ex Pamelio, exactiſſime hac de re ſcripſiſſe Remundum Ruffum contra Molinæum. Sub hæc hyeme ineunte in periculoſum, graviſſimumque morbum incidi, quo in dies ingraveſcente, omnique ſalutis ſignificatione ſublata, Medici vitæ meæ deſperarunt. Quod ut ego intellexi, veritus, ne poſthumam Diatribam, jam tum a nonnullis expetitam, fraternus amor evulgaret; neve eruditi homines me actum egiſſe jure contenderent, ſodalem mihi cariſſimum, qui mihi ſemper aderat, rogavi, ut illam quantocius poſſet ex ſcripturis compluribus ſecerneret, ac flammis traderet. At ille ho-

hominem Theologum mei amantiſſimum convenit, eique rem aperuit. Hic illico ad me accurrit: quid hoc ſit? rogat. Ego contra ut morienti morem gereret maximopere poſtulare. Spopondit Vir humaniſſimus: ne multa, combuſſit. Verumtamen Dei Immortalis beneficio, qui non appendit peccata mea, nec miſericordiam ſuam abſtulit a me, & præcipua BB.^m Johannis Nepomuceni,& Andreæ de Comitibus ope, ſervatus ſum. Convalui: quum primum, viribus utcumque inſtauratis, licuit, inſtructiores Venetas Bibliothecas excuſſi, Ruffumque diu, cupideque conquiſitum deprehendere non valui. Si tum conſilii mei valde me pertæſum dicam, non mentiar. Multa animo obverſabantur, quæ me facti pœnitere obſtringebant, quæ ipſe jam morti proximus, nec reputavi, nec ſi reputaſſem diſcernere potuiſſem. Recudendum erat opus; neque enim quicquam aliud ſupererat præter quam notæ marginales per me appoſitæ ad codicem Editionis Pariſienſis ex recenſione Eraſmi. Sed nec aliud ſuccurrebat exemplum; confuſum ſaltem, tritum, incompoſitum. Ita enim factus, comparatuſque ſum, ut ſemel ſcripta nunquam exſcribam. Mens erat Diatribam iterum adornare; ſed quæ mihi demandata fuerat a Viris Ampliſſimis Nobiliſſimorum Adoleſcentum inſtitutio, non diſtrahebat modo, verumetiam diſtinebat; atque adeo, ut de Cypriano cogitare ne quidem ſineret: tantum erat in exiguo opere & laboris improbi, & maximæ

ſol-

follicitudinis; sed Deo favente multo maxima ex parte remissus est labor. Quamobrem in tempore ad Cyprianum meum reversus sum, & quidquid ex publicis, privatisque officiis temporis superfuit, BB.mo Magistro meo lucubentissimus litavi. Tum demum intellexi, nodum plane herculeum, quo adeo involuta est Cypriani mens de Romani Pontificis primatu in quatuor potissimum locis situm esse. In duabus primum Epistolis, quæ extant inter Cyprianicas, nimirum in Epistola ad Pompejum, nec non in Epistola S. Firmiliani ad Cyprianum: deinde in conclusione Epistolæ ad Jubajanum, & in præfatione ad Concilium Carthaginiense. Quorum ego confictionem ut pridem olfeceram, ita rem pernecessariam, & Catholicæ Ecclesiæ salutarem me facturum existimavi, si eorum confictionem medullitus primo introspicerem, deinde compertam in medium afferrem; an etiam sim consecutus? judicium esto eorum qui sapiunt. Dissertationem in Epistolam Firmilianicam, quæ ordine posterior est, præpostere sed consulto in priorem collocavi, tum quod ab ea, quæ minus difficilis visa est, initium excipiendum fuit, tum quod viam sternat ad alteram, que sub SS.mi Cypriani nomine incredibili calliditate a Donatistis conficta fuit. Alteram in Epistolam ad Pompejum methodo plane mathematica adornavi, quod universam, quæ agebatur caussa, complecteretur, quæ propterea severiori stilo pertractanda fuit. Neque vero id mihi tantum

constitueram, ut ea subverterem, quæ Romani Pontificis Primatui quoquo modo adversabantur, verum & illud insuper erat propositum, ut ſBB.m Carthaginiensem Episcopum, eximiumque Doctorem, turpi, qua ille Donatistarum fraude Rebaptizantis macula notabatur, in tempore liberarem. At istuc neutiquam consequi poteram, si reliquas adversus baptismum hæreticorum Epistolas, quæ Cypriano adjudicantur, omnino præteriissem, quas iccirco percurri universas, verius quam expendi, quod longiori disquisitione opus non esset, quippe quæ eadem sanie inficiantur ac duæ superiores.

Itaque simul atque ad Cypriani vendicias animum adjeci, ipso in limine intellexi, magnam hujuscemodi inquisitionis partem duos enimvero fuisse Sanctos Ecclesiæ Patres, Opatum Milevitanum, & Augustinum, qui ut sapientissime, ita & fuse, atque ex instituto Ecclesiæ caussam adversus Donatistas dixerunt. Jam tum audieram Veronæ Typis Tumarminianis Historiam Donatianam excudi, opus posthumum Em.mi Norisii, multis & sane præclaris additionibus Fratrum Ballariniorum, quam paullo post acceptam cupidius, ac sedulo evolvi; sed nihil admodum ex ea lectione subsidii sum consecutus, quod Auctor doctissimus historici fines non prætervehatur; nec hypotheticum S. Augustini systema ab absoluto secernat, quemadmodum ipse ex repetita S. Augustini lectione apertissime deprehenderam. Quamobrem potius

quam

quam rivulos consectari, certum fuit ad fontem reverti, quem ego non ingurgitavi, sed sorbillavi; innumeris propemodum SS.m Optati, atque Augustini præsertim testimoniis hac illac labore improbo comparatis, quibus Donatistarum, eorumdemque Patrum systemata in ea ipsa caussa me assecutum fuisse non diffido. Eorum pleraque si in Donatiano systemate explanando ad verbum adduxissem, tricipiti locutione Lectores meos obtudissem, ejusdemque Theorematis intellectum vehementer perturbassem. nam identidem in una eademque sententia stru, enda, alterum ab Augustino verbum sumendum erat,alterum ab Optato; mihi vero, quiperspicuitati, quantum potui, perpetuo studuerim, consultius visum est historiæ quidem sanctissime subservire, sed institutam locutionem, quoad licuit, non abrumpere. Reliquum erat, ut loca illa, unde hæc excerpseram ad hoc ipsum Theorema confirmandum, adducerem, at res in idem recidebat; sive enim in ipsum Propositionum contextum insererentur, mira lectoribus gignebatur perturbatio, quod singulis pene verbis apponenda fuissent; sive ad marginem, sed neque id fieri potuit; tam multa erant, tamque densa. Propterea nec infra paginam collocare libuit [veluti non semel egi in Theoremate de Augustini systemate, ne orationem Augustinianis verbis continuatam locorum indicatione interturbarem;] tum quod expertus didicerim vix unum, aut alterum id sibi sume-

re, ut ea conferat quæ comperta sunt; Tum quod puerilem quamdam referat ostentationem id confirmare, de quo nihil quicquam dubitatur; Tum etiam quod nemo unus ignoret hujuscemodi incuriam positam esse in more, institutoque historicorum. Ad hæc non diffiteor, multa me de meo adjecisse, quæ historiam fugiunt; nam quid aliud agendum succurrebat homini non tam historicum, quam polemicum agenti? nisi illud erueret, quod susceptam caussam spectabat, quodve necessario ex rerum gestarum narratione, & collatione consequebatur.

Jam prior in Epistolam Firmiliani excusa erat Dissertatio, quum eam sic excusam recensens, duo offendi, quorum alterum retractare libet, alterum explanare. Primum quod dixerim ad Not. XVI. Cap. II. ad Provinciam Ponti utpote proconsularem, non Præsidem, sed Proconsulem legari consuevissime, quemadmodum & Prætores ad Prætorias, retracto, & expungo; siquidem non uno confirmari potest exemplo Præsidis nomen Proconsulibus, ac Prætoribus nullo discrimine attribui. Deinde, quod pseudo-Firmiliani in Stephanum maledicta summatim colligens, affirmaverin: Stephanum a pseudo-Firmiliano nedum hæreticis pejorem, sed & hæreticum appellatum; distingui oportet. Non quidem directe, atque expresse hæreticum appellari, sed per necessariam dumtaxat consecutionem, colligo ex postrema ejusdem Epistolæ sententia. Et tamen *non pudet Stephanum .... Cypria-*

prianum pseudo-Christum , & pseudo-Apostolum , & dolosum operarium dicere? Qui omnia in se esse conscius prævenit ; ut alteri ea per mendacium objiceret , quæ ipse ex merito audire deberet . Pseudo-Christi & pseudo-Apostoli appellatio synonyma est cum hæreticorum appellatione ex usu loquendi SS.m Patrum , Cypriani præsertim . Atqui pseudo-Firmilianus per summam injuriam pronunciavit : *Stephanum* hæc ipsa *ex merito audire debere* ; affirmavit igitur : Stephanum jure meritoque pseudo-Christum , & pseudo-Apostolum appellari potuisse , ac perinde hæreticum etiam ex consequenti appellavit .

Videar fortasse nonnullis nec satis cautus, nec satis accuratus, qui doctrinam de Divina, & Apostolica Traditione , quæ Epistola ad Pompejum continetur , Catholicæ non prorsus consonam, ad trutinam non revocarim . At ego compertum habeo consilium Viri doctissimi , meique tum Ordinis , tum studiorum carissimi Sodalis Paulli Antonii Agellii adversus hæreticam pravitatem Inquisitoris , qui præclarum opus de Traditionibus molitur , cui iccirco uberrimam hanc , latissimamque Provinciam officiose , lubenterque concedo .

Quotiens veras aut suppositas S Cypriani Epistolas adducere oportuit , secutus sum , non nuperum , sed Pamelianum ordinem ; quod mihi non tam vehemens caussa subesset , aut illum servandi , aut hunc invertendi .

Quocunque res evaserit, satis mihi fecisse arbi-

 tror ,

XX.

CAPUT II.

Not.

CAPUT III.

Argumenta adducuntur, quibus Firmiliani auctoritas huic Epistolæ vendicari possit, & singillatim confutantur.

SYNOPSIS

DISPUTATIONIS II.

THEOREMA I.

Prop.

THEOREMA II.

Ex vero S. Augustini adversus Donatistas Systemate Epistolæ ad Pompejum falsitatem demonstrare.

THEOREMA III.

Ex libris S. Optati Milevitani assertæ confictionis suspicionem confirmare.

THEO-

THEOREMA IV.

Ex nonnullis aliis vetustissimis Scriptoribus S. Cyprianum Rebaptismi macula liberare.

THEOREMA V.

Concilii Carthaginiensis III. confictionem demonstrare.

THEOREMA VI.

Epistolam ad Pompejum, ceterasque super baptismo hæreticorum, ex earumdem contextu confictas probare.

THEO-

THEOREMA VII.

Momentorum, quæ adversantur explosione, sententiam nunc demonstratam confirmare, & concludere.

Quum Auctor consultius existimaverit, si per se ipse hæc opuscula in prælo corrigeret, id quidem præstitit gravioribus caussis; verum hoc ipsum in caussa fuit, cur nonnulla irrepserint errata, quæ [ut fit] illius fugerunt observationem. Horum præcipua sic.

CORRIGE.

Pag.4 resista, *res ista* . 20 pugnanti , *pugnandi* . 22 plenu, *pene* . 24 saltim, *saltem*. 25 quid, *quidem*. 28 ritæ, *rite* . 38 est, *&*. 48 Africa, *Africam*. 50 auxin, *auxim*. ibi pacicos, *paucos*. 51 ajebunt illis, *ajebant illi*. 69 intererererat, *intererat*. 71 posteria, *posteriora*. ibid. cnmmorantem, *commorantem*. 83 gerumus *geramus*. 84 fueret, *fuerat*. 94 damnatas, *damnatos*. 109 fatis. *satis*. 121 ce, *ee*- ibid. Luciferanis, *Luciferianis*. 129 potuisse, *posuisse*. 130 hætesis, *haresis*. ibi καταθρῆγας, καταφρῆγας ibid. pejores *pejor es*. 142 cium, *enim*. ibid. unitate, *unitatis*. 145 Pontifici, *Pontificis*. 152 decreto, *decretum*. 163 Dominatium, *Dominantium*. 164 abepti, *abrepti*. 167 fore, *foret*. 170 Epistolam? *Epistolam*. ibid. Conibrobata *Comprobata*. 198 tantique, *tantisque*. 190 judicio, *judico*. ibid. haaendum, *habendum*. 202 collequentem, *colloquentem*. 209 schismaticis, *schismatici* 217 nequissinios, *nequissimos*. 227 Mileritanos, *Milevitanos*. 237 Virunt, *Vivunt*. ibid. pertinantiam *pertinaciam* ibid. explicuri, *explicui*. ibid. anima, *animo*. ibid. credendam, *credendum*. ibid. exiciperentur, *exciperentur*. 255 commentititiam, *commentitiam*. 257 ur, *ut*. 280 in signis, *insignis*. 292 nullam, *nullum* 294 & facto, *& facti*. 295 & jam, *etiam*. 307 veddidisse, *reddidisse*. 308 ad Apostolis, *ab Apostolis*. 313 omnum, *omnium*. ibid. quic, *qui*. 314 reecerit, *rejecerit*. 317 sysiæ, *syria*. ibid. nostrum, *nostrorum*. 348 Hierononimi, *Hieronymi*. 349 Glabrioris, *Glabrionis*. ibid. injura, *injuria*. 355 habetes, *hebetes*. 357 unium, *unum*. 360 pugnanti, *pugnandi*. 366 exprobare, *exprobrare*. 367 Opinior, *opinor*. 376 patienriæ, *patientia*. 380 asservarii, *asservari*. 381 firigide, *frigide*. 384 traditas, *tarditas*. ibid. vendictæ, *vindicta*. 400 recta? recta, 404 in quam, *inquam*. 407 mcum, *meum*.

IN

IN EPISTOLAM
S. FIRMILIANI
CÆSAREÆ CAPPADOCUM EPISCOPI

AD

S. CYPRIANUM
EPISCOPUM CARTHAGINIENSEM

SUPER DECRETO STEPHANI PAPÆ:

De non iterando Hæreticorum Baptismo.

DISSERTATIO.



Epistolam Sancti Firmiliani ex universis, quæ extant inter Cyprianicas omnium celeberrimam, atque notissimam expendere aggredior. Hanc igitur ita expendam, ut eam & ab homine petulantissimo, Donatista sane quidem, confictam fuisse, & summa injuria sanctissimo Firmiliano tributam, solide non minus, quam aperte demonstrem. Disputationem autem eo ordine instituo, qui & ad præsentem controversiam accomodatior, & ad illius intellectum visus est expeditior. Quamobrem in tria capita dispertio, in quorum primo eas conjecturas adduco, quæ universam Firmiliani Epistolam afficiant, inficiantque. In secundo præcipua ejusdem Epistolæ loca exscribo, quibus criticas notas subji-

cio. In tertio demum omnia congero argumenta, quibus ex adverso fides antiqua ipsi eidem Epistolæ conciliari possit, quæ per me mihi objecta pro mea virili retundo. Sit igitur.

CAPUT PRIMUM.

Argumenta continet, quibus generatim Firmiliani Epistola excutitur, & falsitatis arguitur.

I. Morellius omnium princeps hanc Epistolam protulit, quam Paullus Manutius in Romana editione Latino suasore omiserat; ait namque Latinius: se auctorem fuisse, ne hæc epistola proderetur, tum Majorum exempla sequtum, tum hominis petulantiam detestatum. Pamelius post Morellium in sex antiquis Codicibus deprehensam eam recudit, ingenue de se ipso fassus, se illam prætermissurum fuisse, nisi Morellii diligentia editum fuisset quod latebat. At Baluzio, & Latini prudentia, & Pamelii moderatio minus arrisit. Qua de re multa congessit, quibus & illius utilitatem, & debitam lucem vendicaret, nec diutius latere potuisse, etsi Morellius illam non vulgasset, sibi omnino persuasit. Verum ut multiplex, & versatile ingenium est hominum, donemus Baluzio rem non potuisse longius delitescere, non iccirco nobis deneget sine injuria Baluzius tam diutinam hujus Epistolæ oblivionem magno esse argumento, Majoribus nostris aut falsam, aut perniciosam visam fuisse, quorum alterutrum ipsis in caussa fuit, quod Juris publici

non

non fecerint. Quos inter, illud animadvertendum maxime: Erasmum, ut si quis alius emunctæ naris, & Criticorum omnium, qui censoriam artem in res ecclesiasticas invexerunt facile principem, in sua Frobeniana editione hanc Epistolam prætermisisse. At fortasse hæc ipsa Epistola Erasmum latuerit? Mirum si quod Manutium, quod Morellium, quod Pamelium, quod Rigaltium, quod Baluzium, quod Fellum non latuit, Erasmum latuerit diligentissimum antiquitatis vestigatorem, tum maxime, cum ipse idem nobis affirmet: se in Cypriani editione vetustissimis Codicibus usum, in quorum nullo eam comperiisse vix credibile est, presertim cum multa protulerit Cyprianica, quæ antea ignorabantur, veluti duas Epistolas, ad Jubajanum unam, ad Pompejum alteram, quæ in hoc ipso de quo nunc agimus, versantur argumento. Quin illud potius suspicandum, ab Erasmo repertam, eo consilio prætermissam, quod in Epistola nuncupatoria ad Cardinalem Puccium probe adverterit. *Id fuisse Cypriano cum cæteris Scriptoribus commune, quod ipsius lucubrationibus multa sint aliorum admixta.* At enim Erasmus multa Cyprianicis lucubrationibus adjunxit, quæ vel ipso judice notha sunt; & Cypriani ad Pompejum literas omnium primus prodidit, tametsi nihilo minus in Stephanum amarulentæ sint, atque illæ Firmiliani. Verum facile duplex isthæc conjectura de Erasmo dilui potest, quod longe plura, ac majora occurrerent Erasmo prò adjudicanda ad Pompejum epistola Cypriano, quam ad Cyprianum Firmiliano. Ex quo ut am-

plior hallucinandi occasio, ita planior sese purgandi via daretur Erasmo super Cypriano, quam super Firmiliano. Utcunque resista se habeat, quæ non magno certe argumento esse potest, jam ad graviora descendamus.

II. Quid autem gravius afferri potest, quam vehemens juxta ac indigna, quæ de Firmiliani Sanctitate inde oritur dubitatio? Ecquis contra tam vecors, qui de illa dubitet? At sane planissimus relinquitur dubitandi locus, si vere hanc, de qua nunc agimus, Epistolam ad Cyprianum miserit. Tanta siquidem dicacitate Summum Pontificem Stephanum impetit, tanta petulantia consectatur, tanta acerbitate conscindit, tot inquinat contumeliis, tot vexat probris, & maledictis, tot falsis criminibus cumulat, ut amarulentius nihil, nihilque flagitiosius ab nequissimo Hæretico sit expectandum. Enimvero Novatianus princeps schismatis Artifex, alio sed longe pejori discordiæ genere in Cornelium, & in Stephanum affectus, etsi vi, & copia dicendi Firmiliano non minor, quod innuit Cyprianus epist: LII. ad Antonianum, & si rem suam, & quidem gravissimam ageret, ejusmodi tamen conviciis abstinuit, aut certe his acerbiora non protulit. *Nec vulnus suum miser curat* [Cyprianus inquit in epistola ad Cornelium modo laudata] *Sed adhuc gravius, & se, & suos vulnerat, in perniciem fratrum lingua sua perstrepens, & facundiæ venenatæ jacula contorquens, magis durus sæcularis philosophiæ pravitate, quam sophiæ dominicæ lenitate pacificus, desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis,*
in-

interfector pœnitentiæ, *doctor superbiæ*, *veritatis corruptor*, *perditor caritatis*. Graphice hic Cyprianus Novatianum effingit; ceterum maledictorum in Stephanum acrimoniam omnino reticuit. Quod enim illum *in perniciem fratrum lingua sua perstrepere*, *& facundiæ venenatæ jacula contorquere* dixerit, hoc ad illud est referendum, quod Novatianus argumentationibus in speciem validis, & fallaciloquentia circumductis incautos deciperet, suasque partes confirmaret. Dein *misericordiæ hostem*, nominavit, ob denegatam lapsis *omnem spem pacis*, *& misericordiæ*, *quos nec ad pœnitentiam admittendos esse præsumebat ex illa Domini pronunciatione*, *qua ait: Qui me negaverit coram hominibus*, *negabo eum coram Patre meo*, *qui in Cælis est*, uti fuse refert, refutatque Auctor libri ad Novatianum, quem Gravius, & Pamelius Cypriano adjudicant, fortasse minus vere. Eodem pertinent & duæ posteriores notæ *interfector pœnitentiæ*, *perditor caritatis*. Novi, & probe novi, Novatiani legatos ad Africanam Synodum expeditos libellum famosum adversus Cornelium secum Carthaginem attulisse, quarum criminationum ea erat omnium gravissima, Cornelium Trophimo, aliisque thurificatis communicasse ex Cypriano hæc ad Antonianum scribente. Cætera vero eo tendebant, ut Cornelium insuetæ in lapsos conniventiæ convincerent, & ecclesiasticæ disciplinæ remissorem inscientibus Ecclesiis pervulgarent, quo facilius Cornelij ordinatio irrita fieret. Contra Novatianus, ut odium Cornelio, sibique misericordiam, & existimationem crearet, summam

& in lapſos ſeveritatem, & in adverſis tollerantiam adſimulavit. Quæ omnia eo tandem ſpectabant, ut Cornelium Apoſtolica Sede dejiceret, ac ſeſe intruderet; Sed maledicum hoc ingenium, ſed animum hunc contumelioſum, quantum ex Cypriano ſum expiſcatus, fateor, me deprehendere non potuiſſe, in quo ſi vere Novatianus peccaſſet, certo certius Cyprianus, qui Novatiani ſpeciem nativis coloribus efformavit, ejuſdem dicacitatem tanquam ceterorum criminum caput, & ſummam, & animi corruptiſſimi maximum argumentum, vere non minus quam opportune delineaſſet. Nunc ne quis me a propoſito digreſſum exiſtimet, hanc argumentationem conficio. Duo fuerunt ſub Stephano, fortaſſis etiam ſub Cornelio præcipua diſſidia, Schiſma Novatianum, & Anabaptiſmus. Illud Eccleſiæ unitatem, hic Apoſtolorum traditionem commaculabat. Illud ab homine primum ſchiſmatico, poſt etiam hæretico, ob negatam lapſis ſpem ſalutis, conflatum eſt: hic a Catholicis, & Sanctiſſimis Epiſcopis fidei, atque unitatis ſtudioſiſſimis propugnatus eſt, qui ipſum rebaptiſmi nomen refugiebant; neque enim ſe denuo baptizare, ſed ſimpliciter baptizare contendebant, quippe quibus ratus non eſſet Baptiſmus ab hæreticis collatus. Una erat plerumque Afrorum Antiſtitum, & quorumdam Orientalium mens. Hos inter Firmilianus, ut ſi quis alius Sanctitate, ac doctrina iis temporibus percelebris, cujus Sanctitatis, ac ſapientiæ inſignia extant monumenta tum in Synodo Antiochena, tum apud Baſilium in epiſtola ad Amphilochium, tum

tam-

tandem in græco Menologio, hæreticorum Baptisma repudiavit. Communem caussam, per me licet adversus Stephanum defenderit; At quod Vir Catholicus, Episcopus primæ Sedis, hæresum non osor modo, sed & profligator, qui Novatianum in prima Antiochena Synodo damnavit, qui Paullum Samosatenum confutavit; at quod vir sanctissimus, & integerrimus tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, in quo summa erant omnia ob solam perspectam Stephani sententiam, mutato consilio, omnique anteactæ Vitæ humanitate exuta, subito, insperato, importune, addo etiam injuria ad probra, & convicia descenderit, non in hominem flagitiosum, non in schismaticum, non in hæreticum, sed in virum honestissimum, innoxium, atque adeo in Sacerdotem Dei, fidei studio, disciplinæ custodia, cathedræ dignitate, satis probatum, nemini secundum, omnium principem, & quod magis mirere tanta non dicam ira, sed furore; non vi, sed rabie, quantam in sordidæ conditionis homine vix deprehendas, quantam nec in antiquioribus hæreticis invenias parem; nec in Luthero ipso, ceterisque, qui Lutherum sunt consecuti invenias majorem; Hæc qui fecerit, si probum, si sapientem, si orthodoxum, si memoria, si imitatione, si commendatione dignum, si Sanctum denique putem, amens sim. Lutherum præ cæteris nominavi, qui cum plurima, eaque immania, ac nefaria, & ante ipsum inaudita in Romanum Pontificem maledicta contulisset, illud omnium teterrimum, planeque diabolicum

au-

aufus eft non tam comminifci, quam confirmare: Romanum Pontificem effe Antichriftum. Quæ quidem blafphemia adeo deteftabilis vifa eft Hugoni Grotio tametfi etherodoxo, fummo, & principi juris publici Magiftro, ut in Append: ad Comment. de Anti-chrifto libere non minus, quam aperte pronunciarit. *Unde ifta virulentia, & tot conviciorum feges? Nimirum eorum, qui fchifma effe perpetuum volunt, qui ad ipfum unitatis Ecclefiæ, ac concordiæ nomen contremifcunt, intereft Papam credi Anti-chriftum, ac non poffe effe talem ufque ad Domini adventum. Nifi fchifma effet, non haberent multi, unde viverent; & cum ipfi fine fpe mercedis de Sacris literis ne cogitaturi quidem fuerint, alios de fe metiuntur.* Aurea quidem profecto, & digna Grotio fententia. Nec abfimilis, nec minori laude digna fuiffet altera Calvini lib. 4. inftit. cap.7. §.25. *Videmur nonnullis nimis maledici, ac petulantes, cum Romanum Pontificem vocamus Anti-chriftum*; nifi e veftigio illam correxiffet; & jure optimo maledici, ac petulantes nedum videntur, fed funt, atque vocantur. Si quis vero hanc ipfam virulentiam doctioribus hæreticis invifam in hac Firmiliani epiftola defideret, nec difficile, nec longum eft invenire fi bene introfpiciat. Perhibetur hic Stephanus Schifmaticus, Hæreticus, hæreticis pejor, Pfeudo-Chriftus; Antichrifti autem nomine Hæreticos defignari locutio eft Cypriano familiaris. En quo tandem Firmilianum conjiciunt, qui hanc epiftolam Firmiliani effe confirmant, non eum improbis hominibus comparant, fed Hæreticorum ante-

te-

tesignanis simillimum judicant. Quibus gratiam, & quidem merito referre debet Novatianus, quod per illorum credulitatem, ne dicam oscitantiam, tanto lenior, ac temperantior habitus sit Firmiliano, quanto tollerabilior esse debuit is, qui Cornelio, adde etiam Stephano, est conviciatus, si tamen est conviciatus, quos legitimos Apostolicæ Sedis Episcopos esse negabat; quam Firmilianus, qui omnigenas contumelias sciens, ac prudens evomit in Stephanum verum, atque perspectum in Petri Cathedra successorem; nisi forte velit quis Firmilianum de schismate criminari, ut liberet impudentia. E contrario graviter queri potest Cyprianus de precipiti ista, & periculosa fide, quæ literis Firmiliani nomen præferentibus adhibetur; propensior siquidem in Novatianum, quam in Firmilianum Cyprianus fuisset, quod melius illius famæ consuluisset, cujus libellum in Cornelium in Africana Synodo recitari vetuit, quam istius, cujus epistolam ad se missam non modo non discerpsit, non combussit, non suppressit, sed ut placet iis, qui hisce literis præter modum delectantur, & posteris consignavit, & e græcis latinas fecit; sicque una earundem literarum probatione convellunt, & Cypriani prudentiam, & Firmiliani probitatem. Postremo, ut ad summam hæc omnia redigam, illud mihi non uno experimento omnino compertum est, si ad Sacræ Rituum Congregationis examen deferatur consimilis epistola, alterius cujuspiam servi Dei, ceteroquin christianis virtutibus præclari, nunquam in Beatorum fastis descriptum iri. Sentio quid No-

vatores hic reponant. Quid tu nos provocas ad tuas partes? Ad meas ſcilicet; quin etiam ad veſtras. Quis enim veſtrum hujuſmodi deſcriptionem non ludificaretur, quandoquidem ſeveras, legitimaſque per ſummam injuriam ludificamini?

III. Magna proinde res eſt, ſi hæc epiſtola Firmiliano adimat Sanctitatem, ſed majus quicquam ſi adimat fidem. Satis ut puto demonſtravi, has de quibus agimus Literas Firmiliani nomine haud poſſe conſiſtere ſalva illius Sanctitate; jam vero contendo nec poſſe conſiſtere ſalva ejuſdem catholica fide. Ac primum magno illud eſt argumento, hujuſce epiſtole Auctorem Quartadecimanorum hæreſi non obſcure adhæreſcere, quam multo ante Firmilianum tum a Victore Papa, tum ab Orientalibus Conciliis prope *infinitis*, ut ait Euſebius lib. 5. Hiſt.Eccleſ.cap.22. damnatam accepimus, quod fuſius per nos præſtabitur in peculiaribus animadverſionibus ad hanc ipſam epiſtolam capite ſequenti. Deinde quis in Catholicæ Eccleſiæ unitate eum hominem permanſiſſe cenſeat, qui Romani Pontificis Decreto ex Cathedra interpoſito tam audacter, & confidenter ſit refragatus? qui certiſſimum ejuſdem, & in fidei cauſſis judicium, & in univerſa Eccleſia primatum multimodis peſſundederit, tantum abeſt, ut ſit veneratus. Quod quidem hæc Firmiliani larva tam aperte commenta eſt, ut nihil magis hæretici uſurpent ad utrumque ſubvertendum. Ex Anglis Fellus in notis ad hanc epiſtolam inter ceteras ejuſdem furfuris hanc adjecit. *Hunc certe Firmilianus minime opinatus eſt, fuiſſe univerſalem Eccleſiæ*

Pa-

Pastorem, & controversiarum infallibilem Judicem, cujus personam, & definitionem tam inciviliter tractavit. Oxoniensis quidem mala mens, malus animus, sed proba conjectura, quam nos serio, & luculenter posteriore capite explanabimus. Jam nunc intelligo quantum mihi succenseant nonnulli, qui Orthodoxorum nomine gloriantur, quod ea in hujusce epistolæ Auctorem videar torquere,quæ Stephanum recta feriunt, ejusque successores. At erubescant miseri, & si sapiunt contristentur, sed contristentur ad pœnitentiam. Pudeat illos nedum Majorum suorum sapientiæ labem inferre,& exempla despi:ere, sed & Christi perduellibus arma præbere. Pudeat sciolis, & ignaris tot tenebras offundere. Pudeat tandem aliquando tot cavillationes, & argumentula, aut satis convulsa, aut facile convellenda iterum perfricare, simulque noverint, idque ex Sanctissimo Cypriano addiscant, unam hanc fuisse viam apertam, tritam, & directam, qua ad hæresim, proh dolor! tot ad Occidentem Solem regna novissimis sæculis contenderunt, contemptum videlicet Apostolicæ potestatis, & Romani Sacerdotii. *Neque enim aliunde* [Cyprianus ait in epistola ad Cornelium LV.] *hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperetur nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex Vice Christi cogitetur, cui si secundum Magisteria Divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum Sacerdotum Collegium quicquam moveret*. Mihi quidem si tantum ocii esset quantum promtæ pronæque voluntatis,non

 diffi-

difficillimum foret [aut ego fallor] hoc zizania eradicare; atque illud potissimum, quod nuperrime doctissimi juxta, ac integerrimi Meldensis Antistitis nomine superseminavit inimicus homo. Id enim factu facilius, quam quisquam putet. Sed iter quo expeditius, eo magis impervium. Intelligo quid loquar. Nec vero quisquam censeat, me ad gratiam aucupandam, aut auribus indulgendum sermonem accomodare, liberi enim sumus, justique animi, ac minime ambitiosi. Quod attinet ad firmandum Romani Pontificis in Christi Ecclesia primatum a Cypriano assertum suo loco præstabimus. Pone vero cum IV. Articulo Cleri Gallicani *Summi Pontificis judicium irreformabile non esse, nisi Ecclesiæ consensus accesserit*, num iccirco impune Firmilianus refragari potuit Stephani Decreto? quod eam sententiam vendicabat, quæ Augustino teste lib. 2. contra Cresc. cap. 3. *quinquaginta Episcopis Orientalium, & septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus probabatur contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto Orbe displicuit*. Nunc satis illud mihi superque sit Firmilianum [ut certissimam illius prætercam sanctitatem] schismaticum non fuisse, neque e Catholicis Episcopis id temporis fuisse pejorem, quominus hanc epistolam scriptam judicem a Firmiliano. Fuisset autem Ecclesiæ injurius, si Principi populi sui maledixisset contra Domini præceptum Deut. 22. 28. quem locum de Sacerdotibus, quin & de Summo Sacerdote exposuit Cyprianus in Epist. LV. ad Cornelium. Et Auctor Problematum, quæ vulgo Aristoteli tribuun-

buuntur sect. 11. *Qui Rectori maledicit, in Civitatem est injurius*. Quæ ex literis consimilibus Cypriani ad Pompejum, & Hieronymi contra Rufinum objici possunt, postremo capite diluentur.

IV. Insistamus etiam paullum hujus epistolæ scriptioni. Summum quæro. Cur Firmilianus has literas ad Cyprianum misit? Facilis est, inquiunt, & promta responsio. Responsum reddidit Cypriano. Ubi nam extat Cypriani ad Firmilianum epistola? *Fortasse*, inquit Baluzius, *eadem retexebat, quæ ad Jubajanum*. Quid postea? debuit iccirco occultari? At sane non occultavit Cyprianus Baluzio Judice epistolam ad Pompejum, quamvis eadem retexat, quæ in epistola ad Jubajanum. Eadem fere concoquit in caussa Novatiani, eadem perfricat in caussa lapsorum; sed Vir eloquentissimus, si centies eadem retractasset, centies meliora, & jucundiora effecisset. Quod pluries ab illo factum, in hac certe controversia maxime faciendum fuerat, quod ad Episcopum Orientalem scriberet summi nominis, suarumque partium studiosum; quod insperato Stephani Decreto, & acerbissimis objurgationibus lacessitus; quod perspecta Stephani mente diffidendum foret prioribus a se allatis argumentationibus, hinc aut novæ, eæque validiores cudendæ; aut ex instituto traditio sibi a Stephano objecta pluribus verbis refutanda; quæ quidem commode præstare potuit, & opportune præstare debuit Cyprianus, ut si quis alius & ad inveniendum acutissimus, & ad ornandum uberrimus. Potuit & Firmiliani exemplo confirmari, qui ple-

raque ab Cypriano ſcripta retexuit, quod crederet: *Non obeſſe utilitati ſalutari, aut eadem retexere ad confirmandam veritatem, aut quædam addere ad cumulandam probationem*. Equidem ſic exiſtimo, ſi vere Cyprianus has ad Firmilianum literas dediſſet, tot, tantiſque poſitis ſcribendi rationibus, omnium abſolutiſſimas futuras fuiſſe, quæ tamen nullæ ſunt; quia ut videtur Baluzius tacito innuere, indignæ, quæ ob otioſam argumentorum repetitionem ab Cypriano proderentur. At enim, inquiunt, ut mitius agant, deperditæ ſunt. O factum male! Non deperduntur reſponſivæ [liceat mihi verbo uti minus latino, ſed ſatis apto] deperduntur miſſiciæ. Verum quid dixi non deperduntur? e græco in latinum vertuntur.

V. Sed priuſquam ad latinam verſionem accedo alterum quæro. Ubi nam extat græcum exemplar? Nullibi. Num hoc item deperditum? Quidni? Ita ne vero caſus tanta ratione id efficere potuit, quod erat maxime optandum, ei qui epiſtolam aut confinxiſſet, aut confingere voluiſſet? Nunc illud exquiro: A quo fuit latine verſa? Vertiſſe, inquiunt, Cyprianum ſtylus arguit. Arguat plane ſtylus; quem quiſpiam alter potuit æmulari, at finis, at prudentia, at pacis, & unitatis amor non arguit. Quam appoſite inverti poteſt illud Terentianum. Ex græcis malis fecit latinas peſſimas. Quid namque cauſſæ fuit, cur græcas Firmiliani literas latine verteret Cyprianus? cum ſatis abunde per ſe cauſſam ſuam accurate, eleganterque dixiſſet, ac tam copioſe, ut non modo Firmilianus Cyprianicis

ar-

argumentis vehementer ſit delectatus, verum etiam ex abundanti pauciſſima addiderit ad cumulandam probationem. Hinc & Pearſonius, qui cum ceteris Adnotatoribus a Cypriano translatam conjecit, negat Cyprianum opus habuiſſe auctoritate Firmiliani ad conciliandos ſibi Africanorum animos. At ſi latinam fecit, ſi evulgavit, certe tanto patrocinio carere noluit. Sin vero Cyprianus in ſui patrocinium advocavit, quanto ſatius fuiſſet græcam, quam latinam prodere ad certam, & indubiam fidem aucupandam; aut columnis duabus diſtinctam græce, & latine promulgare; nam ſi tantum latine verſam prodiderit, potuit, atque adeo debuit a nonnullis, qui ei contradicebant, in dubium vocari, & reſpui veluti conficta, vel ut adulterina quidem certe, eo etiam juſtius, quo apertius Cyprianicum ſtylum redolebat, quem ſervare fidum interpretem omnino fieri non poterat; cui ex Horatiano præcepto eſt verbum verbo reddendum, quod ſi in ceteris facultatibus ſit tenendum de Religione quum agitur, inviolatum ſit oportet. Nulla igitur Cypriano fuit hujus epiſtolæ transferendæ propoſita ratio, proinde nulla vulgandæ; nam ejuſmodi epiſtolæ promulgatio, quum novas turbas ciere, & unitatem conſcindere poſſet, aliena prorſus erat a prudentia, & caritate Cypriani; tum maxime cum Africana Eccleſia, & commendatiſſimi Cypriani doctrina, & Agrippini exemplo, & Afrorum Antiſtitum ſuffragatione, & pluribus Carthaginienſibus Conciliis celebratis, hanc de Anabaptiſmo ſententiam alte imbibiſſet. Quod ſi innatæ ſuarum

rum

rum gentium opinioni quantumvis præjudicatæ; exterorum hominum, doctissimorum præsertim, sententia accederet; Si Orientalis Ecclesiæ, ut Firmiliani epistola portendit, confirmatio; si confirmationi irrisiones, & ludibria in adversam partem accedant, jam tum serio triumphant, per famam, & populum circumfertur, & quod fieri assolet, plauditur, illustratur, fovetur, augetur. Ecquæ uberior schismatis seges? præsertim si illud sedulo animadvertas, Firmiliani contumelias recta pergere ad pacem, unitatemque scindendam, quemadmodum numero III. notavi. Quonam vero pacto cum tanto schismatis periculo, quod ex Firmiliani epistolæ promulgatione Africanæ Ecclesiæ imminebat, conciliari potest summum illud, ac pene singulare unitatis studium, quo adeo enituit, atque etiam num enitet Cyprianus? Cujus in hac ipsa rebaptismi caussa insignis illa extat in epist. ad Jubajanum protestatio. *Nos quantum in nobis est propter hæreticos cum Collegis, & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam, & dominicam pacem tenemus, maxime cum Apostolus dicat. Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Servatur a nobis patienter, & firmiter caritas animi, Collegij honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii.* Annon contentiosus fuisset Cyprianus, si Firmiliani literas juris publici fecisset? contra Dei præceptum. *Audisti verbum adversus fratrem tuum, commoriatur in te, fidens quod non te dirumpet.* Num patienter, & firmiter servasset animi caritatem?

quæ

quæ ex I. Cor. 3. *patiens est, benigna est, non æmulatur ... non irritatur ... non gandet super iniquitate ... omnia suffert ... omnia sustinet*. Num Collegii honorem, vinculum fidei, & concordiam Sacerdotii servasset? *qui non honore fraternitatis invicem prævenit*, ut Apostolus præcipit ad Rom. 12. 10. sed tot probra, & maledicta in principem Ecclesiæ Pastorem, Patrem, atque Magistrum conjecta, suæ fidei, ac taciturnitati commissa, cuivis enunciavit, perinde ac si plenus rimarum fuisset? Quod si Domino perhibente Matth. 5. 22. *Qui dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*. Ad quem locum apposite Cyprianus ipse in epist. LV. ad Cornelium. *Quomodo possunt censuram Domini ultoris evadere, qui talia inferunt, non solum Fratribus, sed & Sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, ut quisquis Sacerdoti ejus, & ad tempus hic judicanti non obtemperaret, statim necaretur*. Quomodo potuit ipse censuram Domini ultoris evadere? qui tot, tantaque non solum in fratrem, sed & in Summum Sacerdotem Dei, convicia, a Firmiliano, ut isti perhibent, vomita, minime suppresserit, sed in lucem prodiderit, deinceps ejusdem criminis cum Firmiliano consors; eademque pœna dignus effectus sit ex Apostolico oraculo. *Qui talia agunt digni sunt morte, & non solum qui hæc agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Facienti autem consentit, qui non vetans vetare cum possit, jubet. Annon eam epistolam evulgare pejus quiddam, ac

pestilentius fuisset, quam Anabaptismum tueri? Quid dicam latine vertere? Ibi enim de schismate, hic de disciplina agebatur. *Ibi si quid in eo fuerat emendandum* [inquit August. epist. 93. ad Vincent. Donatist.] *tanquam sarmentum fructuosissimum purgavit Pater falce passionis*. Hic schismatis reatus Martyrio non expungitur, sed mulctatur vel ipso Cypriano teste epist. LVII. ad Cornelium, in qua de Novatiano schismatis Auctore agens, ejusque Sectatoribus ita pronunciavit: *Quanquam & si aliquis ex talibus fuerit apprehensus, non est quod sibi quasi in confessione nominis blandiatur, cum constet, si occisi ejusmodi extra Ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse, sed pœnam potius esse perfidiæ*. Ubi Chrysostomus hom. 1. ad Ephes. *Quid est hoc? Nec martyrii sanguine deleri posse hoc peccatum dividendi Ecclesiam per schismata, vel hæreses*. Et August. epist. 173. *Foris ab Ecclesia constitutus, & separatus a compage unitatis, & vinculo caritatis, æterno suplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris*. En quo tandem evadit sollicita hæc criticorum ceteroquin doctissimorum animadversio, ut stylum salvent, sanctitatem, & fidem inficiunt; sed de hoc plura, & majora in discussione Cyprianicæ ad Pompejum epistolæ.

VI. Jam vero ad id, quod est Criticis usitatius, accedamus, ad summum inquam, perpetuumque silentium eorum Scriptorum qui proxime Cypriano, ac Firmiliano res in caussa rebaptizantium gestas recensuerunt: Dionysij inquam Alexandrini,

Eu-

Eusebii Cæsariensis, Sancti Augustini, nec non Donatistarum, quin & ipsiusmet Cypriani, & omnium maxime Concilii Carthaginiensis III. Principio igitur Dionysius Alexandrinus Romanæ primum Ecclesiæ Presbyter, post Alexandrinorum Episcopus, obnixe, ac perpetuo studuit unitatem inter Occidentalem & Orientalem Ecclesiam servare. Is literas misit ad Xistum Stephani successorem pro Græcis rebaptizantibus. Scripserat & dudum pluribus verbis Stephano superstite ad Dionysium, & Philemonem Romanos Præsbyteros, non quod ipse Rebaptizantibus novissime adhæserit, ut turpiter conjicit Launojus, quod & Pearsonius mira licentia tanquam rem non dubiam affirmat, quibus merito Tillemontius, & Dupinus repugnant, tum literæ ipsæ Dionysij, tum res ipsa; qui enim Dionysius pro aliis intercederet, qui & ipse erat ejusdem criminis consors? sed quod id operam dabat, ut Stephanum mitiorem redderet Heleno, & Firmiliano, in quos, veluti & in reliquos Orientales Episcopos, verebatur Dionysius, ne Stephanus, qui Decreto suo caussam finitam esse volebat, quid gravius statueret. Helenum quidem, ac Firmilianum nominat, quippe qui fuerint præter ceteros maximi nominis Antistites. Ceterum de hac Firmiliani epistola verbum ne quidem unum proloquitur. Quæ si tot tantasque turbas hoc tempore excitat, quanto putas majores debuisse excitare in maximo disputationis æstu? Profecto si ad Stephani manus pervenisset, Dionysius nihil profecisset, quominus a Stephano Firmilia-

nus, ceterique abstinerentur. At si epistola Firmiliani fuit a Cypriano vulgata, si a Cypriano latine reddita, quis non probe conjiciat ad Stephani manus, aut si mavis ad Xisti venire aliquando potuisse; quippe quod perdifficile usque fuerit ea occultare, quæ seditiosa sunt, ac tumultuosa, quæ plurimorum manibus teruntur, atque ea præcipue, de quibus maxima inter viros gravissimos exorta est dimicatio; tum maxime quum ibidem aliqui in pugnanti sententia perstiterint, quod & Concilij Carthaginiensis III. indictio, & nonnullorum Antistitum suffragatio apertissime indigitant; cum aliqui item fuerint in suos male animati, veluti Florentius Pupianus, Episcopus plane Afer in Cyprianum, ut ceteros prætermittam, qui ab Urbe mercaturæ caussa crebrius in Africam contendebant, utque eos item, qui cum Proconsule eodem mittebantur; atque illos tandem, qui militiæ nomen dederant, ex quibus magnum numerum vel in ipsis Romanis Legionibus Christianam Religionem professos fuisse perspicuum fecit Tertullianus, & Romano Pontifici, potius, ac justius quam Afris addictos fuisse, ratio ipsa suadet. In eo autem disputare, tot tantisque conjecturis Firmiliani epistolam omnino Stephanum latuisse, divinare est. Nam quemadmodum hoc tempore rerum gestarum ephemerides conscribuntur, & in longinquas, ultimasque terras eo perferuntur; quo plerique omnes curiosi homines eas perlegant, vel ad animum relaxandum, vel ad rem suam bene gerendam; ita & prioribus Ecclesiæ Sæculis gratissimum Christia-

nis

nis erat ea rescire, quæ procul a suis finibus apud exteras gentes super Religione eveniebant, hæresses potissimum, ac persecutiones. Hinc illud efficitur, quod est ratione consequens: non paucos pariter fuisse, qui quæ in dies fiebant absentibus Fratribus per literas opportune nunciarent. Quod si in tempore ad Pontum usque fieri potuit a Cypriano, quidni commodius ad Urbem fieri potuit, quo tot negociorum caussa Carthagine potissimum confluebant, Romanusque Pontifex de acrius recrudescentibus Rebaptizantium dissidiis fieri certior? Quod si Stephanum non latuerit, ut certe non latuisset, jam tum Dionysio Alexandrino speciatim, ac nominatim, idque pluribus verbis excusandus erat, utcumque poterat, Firmilianus, cui jure meritoque iratior fuisset Xistus, quam Heleno, utpote ei, qui sui Decessoris decretum, ac Personam acerbissime fuisset insectatus, & Romanæ Cathedræ Auctoritatem minimi fecisset. Quo enim alio pacto Dionysius Xisto confideret, præsertim omnia scienti, multa suspicanti, magna metuenti, nulla speranti? Atqui Dionysius has literas tam tacitus præterivit, quam si nullæ fuissent; fuerunt igitur nullæ. Profunda hæc Dionysii Alexandrini taciturnitas intelligi potest in suis iisdem literis apud Eusebium lib. 7. Hist. cap. 5. Qui Eusebius quinque tantum numerat Dionysii epistolas, sed septem numerare poterat, si altera quæ ad Dionysium Romanum, ac Philemonem, & altera, quæ Alexandrinæ Ecclesiæ nomine data est, computentur.

VII. Quod vero idem Eusebius, qui optima quæque Veterum Patrum monimenta, quæ ad historiam pertinent, ac præsertim ad hanc de Rebaptismo disceptationem coegit, hoc Firmiliani ad Cyprianum responsum ne leviter quidem attigerit, plurimus relictus est dubitandi locus; confictum fuisse multo post Eusebium ab aliquo Donatista, qui obtentu hujus dissidii inter Stephanum, & Firmilianum jampridem constituti, ad suam hæresim fulciendam nedum Magni, & Sanctissimi Orientalis Episcopi exemplo est abusus, verum etiam sub ficto ejusdem nomine suffragium conflavit, quod multum verosimile foret, Cyprianum accepto Stephani decreto, continuo illius decreti exemplum ad Firmilianum per Rogatianum misisse, quod commentum, ut majorem veritatis speciem ei appingeret, multis hinc, atque illinc e Cypriano quæsitis rationibus, utcumque farsit; ac ne plagiarius proderetur, aliqua e suo plenu conglutinavit, partim frigida, partim falsa; postremo ut duplicem suspicionem removeret utramque occupavit, namque ista subtexuit. *Neque obest utilitati salutari aut eadem retexere ad confirmandam veritatem, aut quædam addere ad cumulandam probationem*.

VIII. Dixi multo post Eusebium hoc Firmiliani ad Cyprianum responsum confictum fuisse, quod nec Augustinus, qui ex instituto quampluri-mis libris contra Donatistas conscriptis, ac fere cunctis rebus sub Stephano, & Cypriano gestis commemoratis, de hac Firmiliani Epistola ullum ser-

ſermonem habuerit, quæ præter ceteras minoris certe ponderis, quas aut memoravit, aut expendit, omnium maxime expendenda fuerat, quippe quæ non modo aſperum græci hominis ingenium, ſed totum pene cauſſæ ſtatum patefaceret. Immo quo jure bene opinatus eſt Auguſtinus epiſtola ſuperius adducta: Cyprianum ſententiam ſuam retractaſſe, pari item judicio ad ſtabiliendam Magni Epiſcopi Cæſarienſis Sanctitatem conjicere potuerat, & hunc a priſtina ſententia receſſiſſe. Quis enim iſtuc ſibi perſuadeat? Si Firmiliani literæ Auguſtino innotuiſſent, tam acerbæ, tam contentioſæ, unde ſibi firmum præſidium Donatiſtæ adſciſcere potuiſſent, non fuiſſe illas oppugnaturum, aut purgaturum quidem certe; quod cenſorium Auguſtini judicium quam ſincerum fuerit, & ſubtile, inde potiſſimum argumentandum: epiſtolam Cypriani ad Jubajanum, etſi longe mitiorem altera ejuſdem Cypriani ad Pompejum, atque etiam hac Firmiliani ad Cyprianum, nihilominus ſibi Cyprianicam viſam non fuiſſe, uti ex lib. 2. contra Creſconium cap. 33. Neutrum vero præſtitit Auguſtinus, non igitur ei innotuerunt. At enim inquit Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas. *Neque enim omnia, quæ in illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ, literiſque mandare potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt novimus*. Equidem hoc nil miror: Auguſtinum non omnia noviſſe, quæ ſuper rebaptizatione memoriæ, literiſque mandata ſunt; ſed in eo maxime admiror, planeque ſtupeo, id qu od

Au-

Augustinus non novit, summus idemque accuratissimus ejus rei Scriptor, multis tandem post Sæculis nostris hominibus notum fuisse. Annon istud serio opinari idem prorsus est, ac suæ caussæ desperare?

IX. At saltim Donatistis innotuerit. Nihilo magis. Enim vero Donatistæ Augustino teste in celebri illa Collatione Carthaginiensi omnem lapidem verterunt in hac de rebaptismo disceptatione. Proinde multo mihi vehementior injicitur confictionis suspicio ex hoc perpetuo Donatistarum silentio, qui certissime tanto patrocinio carere noluissent. Quid enim opportunius, quid etiam validius ad eam, quam sibi susceperant Anabaptismi instaurationem, quam epistolam hanc in rem suam adducere, quippe quæ non modo Cæsariensis Antistitis firmissimam sententiam; sed & omnis Orientalis Ecclesiæ consensionem, & Concilii Iconiensis auctoritatem portenderet. Quid? quod Donatistæ ad Synodum Carthaginiensem III. sibi repugnantes provocabant. Quid? quod Augustinus lib. 2. Retract. cap. 18. ita protestatus est. *Contra Donatistas auctoritate Beatissimi Episcopi, & Martyris Cypriani se defendere molientes, septem libros de Baptismo scripsi, in quibus docui, nihil sic valere ad refellendos Donatistas, & ad eorum prorsus ora claudenda, quomodo literas, factumque Cypriani.* Nisi id est quod ratio ipsa suadet: Donatistæ unde, & utcumque poterant sibi auxilium expetebant, & quo minus Ecclesiæ unitatem scindere viderentur, ad eos potissimum confugiebant, de quibus vel ob insi-

gnem

gnem in primis doctrinam, vel ob bene gestum Episcopatum, vel ob Sanctitatis nomen, vel etiam ob Martyrii laudem, optime Ecclesia audiebat, & loquebatur. Ad Cyprianum præcipue confugerunt, quippe in quo summa omnia fuissent. Quid ni etiam ob eam ipsam rationem ad Firmilianum confugerent? Episcopum primæ Sedis, famæ apud Græcos celebratissimæ, & quod maxime interest, Strenuum Beatissimi Cypriani, & Africanæ Ecclesiæ vindicem, ac propugnatorem. Agnoscunt ne tandem istius epistolæ assertores quibus anfractibus sibi sit decurrendum? & contra quam recta ipse pergam? Qui pseudo Firmiliani illam esse hactenus probavi, & deinceps probabo.

X. Superest, ut quid Cyprianus ipse de Firmiliano, ac de Firmiliani literis senserit excutiamus. Multa scilicet, & præclara Cyprianus memorat tum de Firmiliano, tum de illius super hac re sententia. Quid tandem memorat? Nihil quicquam, ne nomen quid. Indignum facinus! ne quidem nominasse eum, ad quem in longissimas regiones, ut Firmillianus ait, epistolam miserit, & quidem de re gravissima, a quo literas acceperit plenas amoris, & benevolentiæ, qui sibi in summo discrimine mature fuerit opitulatus. Indignum facinus! non gratiam modo, non beneficium, sed nec memoriam referre ei, qui in te talia, ac tanta contulerit beneficia. Sit plane facinus indignum, sed Cypriano indignum tamen, qui quod nunquam Firmiliani meminerit, magno argumento esse debet nullam sibi cum Cæsariensi Episcopo

necessitudinem intercessisse. Solemne quippe fuit Cypriano plerasque omnes a se missas vel acceptas literas, in posterioribus epistolis commemorare, quod non in hac solum controversia, sed & in reliquis perspici potest. Etsi maxime donemus Cypriani ad Firmilianum literas amissas fuisse, quemadmodum & græcas Firmiliani, tamen una hæc conjectura, omnino id a Cypriano fuisse prætermissum, quod erat minime prætermittendum, ita me persuasum habet, ut serio putem nullas fuisse latinas literas, græcasque nullas. Etenim Cyprianus modesto non minus, quam liberali, ingenuoque animo præditus, nunquam laudes sibi a Firmiliano tributas, suamque ab ipso eodem confirmatam sententiam reticuisset, qui revelationes ipsas sibi a Deo factas non reticuit, sed in epistola ad Florentium Pupianum libere patefecit. Gratissimum item fuit Cypriano epistolas suas ab omnibus legi, atque exscribi; quam voluntatem prodidit in epistola ad Clerum suum XXXII. sin minus, vel acceptæ a Firmiliano epistolæ exemplum pro more suo ad quem Fratrum misisset; vel saltem illius meminisset; non misit autem, non meminit; ergo ne accepit quidem.

XI. Atque ut semel finiam, & novissimum, idemque maximum tanti silentii proferam argumentum, ad Concilium Carthaginiense III. confugiendum est. In eo siquidem Cypriani ad Jubajanum literæ, nec non Jubajani ad Cyprianum perlectæ sunt, non item Firmiliani ad Cyprianum,

num, quæ si quidem extitissent opportunius fuerant legendæ quam illæ Jubajani, quandoquidem Jubajanus Afrorum sententiæ aut numquam adhæserit, aut sero, aut frigide. Contra Firmilianus tam alte illam animo imbiberit, ut ad Xisti usque tempora in ea opinione perstiterit. Quocirca eo tota res spectat, ut inquiratur: an Papæ Stephani decretum ante, vel post hujus Synodi celebrationem sancitum fuerit, & ad Africanam Ecclesiam expeditum, quo explanato reliquum est in proclivi. Chronologus Cyprianicus, & Oxoniensis, quos secuti sunt Baluzius, & Cyprianicæ vitæ illustrator, ac fere plerique omnes, qui nec sedulo, nec per se rem expenderunt, firmum illud, ratumque habent Stephanum hoc Concilio, ejusdemque pronunciatione lacessitum decretum de non iterando hæreticorum Baptismo interposuisse, & ad Cyprianum misisse. Secus Lombertus, qui ad annum CCLVI. hanc Synodum retulit, sensit Responsum Firmiliani ad manus Cypriani sub finem æstatis pervenisse, & Cyprianum hac epistola munitum Concilium convocasse, quod Kalendis Septembribus convenisse legitur. Prioris sententiæ Auctores hanc eruunt supputationem ex epocha, quam præfert eadem Firmiliani epistola, quæ scripta fuit anno post Alexandrum Severum vicesimo secundo, qui calculus quanti sit faciendus, videant Viri docti, præsertim cum ex epistolæ textu oppositum potius sit conjiciendum, ita enim legitur. *Ante viginti, & duos fere an-*

nos, temporibus post Alexandrum Imperatorem. FERE dixit, quæ particula quinque integros Menses subtrahere potest, quo temporis intervallo potuit Cyprianus Firmiliani epistolam accipere, & ineunte Autumno Concilium celebrare. TEMPORIBUS *post Alexandrum Imperatorem*. Quis Latinorum affirmet To *Temporibus* ritæ usurpari ad designandum postridie ejus diei, quo mortem obiit Alexander? Quis vero neget tantundem dici potuisse, & quidem recte, post anni dimidium ab Alexandri morte? Quod si solum anni dimidium totam hanc epocham invertere potest, quid amplius huic Epochæ confidimus? Præsertim cum Pagius nedum postremum annum, sed & primum incompletum fuisse ita affirmet, *Annos illos viginti duos utcunque incompletos pro integris numerat Firmilianus, qui nullo modo de anno sequenti intelligi potest, quum eo anno persecutio orta sit, & Stephanus decesserit, & Cyprianus exilio multatus sit.* Ego omnino assentior Lomberto opinanti Firmiliani literas ante Concilium III. Carthaginiense scriptas fuisse (si tamen fuerunt scriptæ.) Quod autem Lombertus prudenter est opinatus, Ego enim vero affirmo, & firmissimis argumentis demonstro.

XII. Primum petere libet ex epistola Synodica a Cypriano ad Stephanum missa post Concilium Carthaginiense II., qua illum & de celebrato Concilio, & de duplici ejusdem Concilii Sanctione certiorem facit. Primo: *Eos qui sunt foris extra Ecclesiam tincti, & apud Hæ-*

re-

reticos, & schismaticos profana aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Ecclesiam quæ una est venerint; baptizari oportere. Deinde: *Ut etiam si qui Præsbyteri, aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius ordinati fuerint, & postmodum perfidi, ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a pseudo episcopis, & antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, & contra Altare unum, atque divinum sacrificia foris falsa, ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi cum revertuntur, ut communicent laici.* Qui canones ad Carthaginiense III. neutiquam traduci possunt, in quo unica de repudiando hæreticorum baptismo sententia, uno ore ab octoginta, & septem Episcopis confirmata est. Quo tandem fine Carthagine Synodum hanc III. coactam putamus? nisi ut Stephani decreto de non iterando hæreticorum lavacro, ampliori Episcoporum suffragatione, qui ex Numidia, & Mauritania convenerant, fortius repugnarent. Nil autem interest nullam in Stephani responso de Præsbyteris, aut ad hæreticos dilapsis, aut ab hæreticis ordinatis, mentionem fieri, cum fieri quidem potuerit, & a Cypriano, utpote Africanæ menti conformis, merito prætermitti, nec opus erat Cypriano ea, circumferre, quæ fuerant a Stephano confirmata, & septem ad summum ante annos a Concilio Romano statuta. Viguit namque ritus ille de Præsbyteris usque ad Nicænum I., a quo Can. 8. antiqua severitas temperata fuit, ut

amplior ad ſalutem aditus, & facilior ad Eccleſiam reditus lapſis præberetur.

XIII. Alterum argumentum epiſtola Cypriani ad Jubajanum ſuppeditat, quam certiſſimum eſt ante Carthaginienſe III. ſcriptam fuiſſe, in quo lecta fuit una cum Jubajani reſponſo. In ea vero Cyprianus non modo de epiſtola a ſe ad Stephanum ſcripta, ſed & meminit de Stephani reſponſo, immo conjicit Pamelius, & quidem probe, Stephani reſponſum non alia via ad Cyprianum perveniſſe, quam per manus Jubajani, ad quem a Stephano miſſæ fuerant. Pamelio Tillemontius adverſatur ea ductus ratione, quod & officio repugnaret, Stephanum non Cypriano, a quo literas Synodicas acceperat, ſed Jubajano reſcribere, quodve non unus Stephanus Cypriani, ceterorumque Afrorum ſententiæ repugnaret. Verum ut prima illa animadverſio nimium redolet gallicam officioſitatem, ita altera hæc non multum abeſt a divinatione. Veroſimilius enim multa concurrere potuerunt, quæ Stephano in cauſſa eſſent, cur litteras Jubajano inſcriberet potius, quam Cypriano; ſive quod Jubajanus, quandoquidem ipſius locus ac provincia ignoratur, cuipiam inferi maris inſulanæ Eccleſiæ præeſſet, qui propterea, aut Romanæ, & Africanæ Eccleſiæ ſequeſter eſſet, aut literas utrinque miſſas ſedulo, & commode accuraret; ſive quod vereretur Stephanus, ne ſi literas minaces, & permoleſtas una cum decreto recta ad Cyprianum mitteret, aut interire, aut aperiri, aut intercipi poſſent; quod ſi in fa-

mi-

miliaribus, & jocosis epistolis plerumque metuitur, in severis porro, & gravibus est usque extimescendum. Qua de re præstabat Stephano duplex earundem literarum exemplum conficere, alterum ad Jubajanum, ad Cyprianum alterum. Ut illud quod in proclivi est, prætermittam, quod tametsi Sanctissimo Cypriano omnino indignum sit, Afris enimvero non est indignum. Unde vulgatum illud *Pæni fædi fragi*, & illud. *Punica fides*. Quis enim non vereretur, ne, si in Afrorum manus Stephani epistola incideret aut suppressa, aut adulterata fuisset. Ut ut ista se habeant [namque in sola versamur conjectura] illud in tanta rerum ignoratione perspectum nobis, exploratumque est, Cyprianum post datas ad Stephanum Synodicas literas, responsionem ab ipso eodem expectare, ab aliis non item. Sed jam propius ad epistolam accedamus. Sic itaque Cyprianus in epistola ad Jubajanum. *Plane quoniam inveni in epistola, cujus exemplum ad me transmisisti, scriptum esse, quod quærendum non sit quis baptizaverit, quando is, qui baptizatus sit, accipere remissam peccatorum potuerit secundum quod credidit*. Addo etiam quæ ibidem prope medium sequuntur. *Nec quisquam dicat, quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur*. Quam traditionem apostolicam non fuisse fuse e vestigio probare nititur. Qui locus respondet alteri ex epistola ad Pompejum, ubi Stephani rescriptum sibi objiciens, ita inquit. *Nihil innovetur, inquit, nisi quod traditum est. Unde est ista traditio; utrum ne de*

do-

dominica, & evangelica auctoritate descendens; an de Apostolorum mandatis, atque epistolis veniens? Et pergit Apostolorum traditionem inficiari iisdem fere argumentis, ac in superiori epistola. Addo, tandem exemplum superiorum literarum quemadmodum & ceterarum, quæ super hoc baptismo fuerunt a Cypriano conscriptæ, transmissum fuisse ad Pompejum, fatente, atque ita exordiente Cypriano. *Quanquam plene ea, quæ de hæreticis baptizandis dicenda sunt, complexi sumus in epistolis, quarum ad te exempla transmisimus.* Ad quæ apposite Pamelius *loquitur de epistolis præcedentibus ad Episcopos Numidas, ad Quintum, & ad Jubajanum, atque adeo patet post illas omnes scriptam hanc esse.* Profecto Cyprianus literis suis ad Jubajanum datis tam vehementer est delectatus, ut illas recitari jusserit, & pro suffragio attulerit in III. Concilio Carthaginiensi. Hinc verisimile fit Cyprianum & literas ad Jubajanum, & Stephani decretum, veluti & reliquas, quæ ad hanc caussam pertinebant, iccirco ad Pompejum misisse, quod Pompejus, aut senio confectus, aut morbo præpeditus nequivisset per se indicto Concilio Carthaginiensi interesse, pro quo, sicut & pro Dioga Leptimagnensi, Natalis ab Oea est suffragatus, uti sub finem ejusdem Concilii perspicitur.

XIV. Tertium argumentum apertius quam tria priora Stephani decretum post II. Carthaginiense in Africam delatum demonstrat, & ante III. celebrationem, indeque petitur, quod non pauci ex

Episcopis suffragatoribus in suis ferendis sententiis Stephano, ejusque decreto in sequenti Carthaginiensi III. succensuerint. Cyprianus ipse sic præfatus est: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut Tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit.* Quibus verbis tacite a Cypriano Stephanum innui, atque morderi, censuit Baronius, & post Baronium omnes qui hunc locum adnotarunt, præsertim Rigaltius, Baluzius, & Pearsonius, quos omnes hallucinatos esse inferius demonstrabimus. Interea satis sit, ostendisse: Baluzium, ac Pearsonium, nec non Fellium, qui vafro semper animo Cypriani dicta in Romanum Pontificem contorquent, secum pugnantia loqui, dum & Stephanum eo loco designatum affirmant, & Stephani decretum post III. Carthaginiense traducunt. Nihilo secius placuit & Cypriani verba in hoc Concilio habita, adducere, ut ipsos suis iisdem armis confoderem. Quæ sequntur ad rem magis, & clariora. Cæcilius a Bilta primus post Cyprianum suffragator post aliqua hæc subtexuit. *Ad hæc omnia accedit & illud malum, ut Antistites Diaboli audeant Eucharistiam facere, aut qui illis assistunt dicant: hæc omnia falsa esse de hæreticis. Ecce ad qualia cogitur Ecclesia, & sine Baptismo, ac venia delictorum communicare compellitur.* Potuit ne clarius ad Stephani decretum alludi? Hæc Cæcilii sententia respondet alteri Cyprianicæ contra eundem Stephanum in estpistola ad Pompejum. *Ad hoc enim malorum devoluta est Ecclesia Dei, & Sponsa Christi, ut*

 hæ-

hæreticorum exempla sectetur. Item alteri. *Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus Christianorum, Sacerdotes Dei veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat? Dat honorem Deo, qui unitatem, & veritatem de divina lege venientem non tenens, hæreses contra Ecclesiam vendicat?* Sed omnium clarissime Crescens a Cirta. *In tanto cætu Sanctorum Consacerdotum lectis literis Cypriani dilectissimi nostri ad Jubajanum, itemque ad Stephanum*. Quocirca literæ Cypriani ad Stephanum datæ fuerunt ante hoc Concilium, & Stephani responsum occasionem præbuit III. Synodi convocandæ, & epistolæ ad Firmilianum missæ. Quid ad hæc Pearsonius? *Non opus habuit Cyprianus autoritatis Firmiliani ad conciliandos sibi Africanorum animos*. At huic Pearsonii opinationi repugnat factum. Advocavit enim Jubajanum ad conciliandos sibi Africanorum animos, ejusque literas palam in Concilio recitari voluit. Audiamus tandem Labbæum ad Concilium Carthaginiense II. *Hæc cum Episcoporum prædictorum LXXI. sententia coustituta essent ad Stephanum Romanum epistola quadam Synodica perscribuntur. Ille vero Synodica epistola accepta per literas redditas Concilium hoc reprobavit, & simul etiam sanctissime mandavit, ne a traditione apostolica, de non iterando baptismate hæreticorum eorum &c.* Consentit Labbæo Tillemontius in notis ad III. Conc. Carth. Qui vero acutiores stimuli admoveri potuerint Cypriano ad III. hanc Synodum convocandam præter Stephani decretum plane

ne non video. Sed illud probe video, plerosque Episcopos in Synodo III. Carthaginiensi duo potissimum conari. Primum ut objectæ consuetudini veritatem præponant, veluti præposuerunt Castus a Sicca, Felix a Buslacenis, & clarius quam reliqui forte etiam ridiculosius Libosus ab Agria. *In Evangelio Dominus ego sum inquit veritas; non dixit: ego sum consuetudo.* Deinde quod intelligerent quosdam hæreticis baptizantibus patrocinari, hic doleat, ille miretur, alius irascatur veluti Cæcilius a Bilta, Faustus a Timida regia, & Marcus a Bactari. Quæ quidem duo ad unum Stephanum alludere non modo literæ Synodicæ ab Afris ad Stephanum missæ, non modo Stephani decretum, quod hæc tantum duo complectitur, nobis indigitant, sed Zosimus a Tharassa apposito quidem exemplo in dispari satis caussa declarat, ita enim inquit. *Revelatione facta veritatis, cedat error veritati, quia & Petrus, qui prius circumcidebat cessit Paullo veritatem prædicanti.* Hoc tamen exemplum ei solum objicere poterat Zosimus, qui sibi in Ecclesia Primatum non secus ac Petrus obtrudere potuisset. Hoc ipsum argumentum a Petri, & Pauli disceptatione super Circumcisione ductum, fusius tractat Cyprianus in epistola ad Quintum in caussa de Baptismo, in qua hæc inter cætera. *Non est autem consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paullus de Circumcisione postmodum disceptaret, sibi aliquid insolen-*

ter, aut arroganter assumpsit; ut diceret se primatum tenere, & obtemperari a novellis, & posteris sibi potius oportere. Utrobique idem factum proponitur, quod singulare omnino sit ad obsistendum primatui Romani Pontificis, quem clanculum mordebant, quod consuetudini serviret, quod Collegis praescriberet, quod Haereticis faveret. Hoc vero a me iccirco pluribus verbis praestitum est, quod in tempore intellexi, plurimum interesse Firmilianicae epistolae Assertorum post III. celebratum Concilium Carthaginiense eamdem reponi. Videbant utique solertes, acutique homines quae gravissima falsitatis praesumtio inde oriretur, si hae literae III. hoc Concilium praecessissent, in quo tamen nulla illarum facta est mentio, usus que nullus. Verum enim vero quanto aptius, quanto congruentius, quanto etiam utilius perlectae fuissent Firmiliani, quam Jubajani literae? quippe quod ageretur de Episcopo primae Sedis, maximae inter Graecos existimationis, qui Paullum Samosatenum damnaverat, & confutaverat, qui Sanctitatis fama in primis praedicabatur, qui tot tantisque nominibus reliquos suae gentis, atque aetatis Antistites superabat, aut aequabat quidem certe. Ageretur insuper de explorata Orientis sententia ab Iconiensi Synodo pridem confirmata. Quae vero caussa subesse potuit Cypriano, cur tale, tantumque suffragium supprimeret? Quid amplius ex Jubajani literis sibi pollicebatur? Instet forte quis, & dicat: etiamsi Firmiliani suffragium plurimum prodesse potuerit africanae sententiae; jure tamen fuisse

fe

se illud a Cypriano suppressum, quod nimia scateret acrimonia, magnisque foret contumeliis conspersum. Sed qui hoc reponit jam denegat: fuisse & a Cypriano translatam, & a Cypriano vulgatam; præterea epistolam ad Pompejum Cypriani non esse. Cum vero satis perspectum sit Firmiliani literas non modo a Cypriano in III. Synodo proditas non fuisse, sed ne quidem nominatas, jam inde ratione consequitur, & ex hujusce Concilii silentio confictas demonstrari.

XV. Quæ hactenus adduximus argumenta ex positione hypothecica verius quam ex absoluta proficiscuntur; multa siquidem admisi, quæ nisi eæ argumentationes, quas ad hominem vocitant, mihi conficiendæ fuissent, aperte, & libere denegassem. Id enim propemodum egi in præsenti dissertatione cum Firmilianicæ epistolæ Assertoribus, quod cum Donatistis plerumque egisse Augustinum deinceps demostrabo. Nunc ut a suppositione ad positionem absolutam ratiocinationem traducam, id mihi probandum sumo: Firmiliani temporibus aut nullam fuisse inter Episcopos Asiaticos super baptisma hæreticorum disceptationem, aut longe aliam, atque ea, quæ perhibetur ab Eusebio Cæsariensi. Enimvero quis, vel mediocriter in Ecclesiastica Historia eruditus ignorat, duabus, potissimum hæresibus Orientalem Ecclesiam id temporis exagitatam fuisse, nimirum Cataphrygum, & Paulli Samosateni. Adversus illos coacta fuit Iconiensis Synodus Tillemontio fatente, cui Firmilianum per se interfuisse hæc epistola præfert, quemadmo-

 dum,

dum, & adversus alterum non una Synodus Antiochena celebrata est, Firmiliano ipso contra Paullum, in priori Synodo sentiente, & disceptante. Utrique hæretici baptismi aut formam aut significationem adeo depravabant, ut nullo pacto aut hic ratus ab Orthodoxis haberi posset; aut ille omnem depellere suspicionem quod Catephrygibus non alius esset Spiritus Sanctus, quam Montanus illorum signifer; nec Paullianistæ in alterius nomine baptizarent, quam Paulli Samosateni. Quum una, est altera istiusmodi hæresis toto Oriente grassaretur, vero non absimile est nonnullos Episcopos Montani præstigiis, & Paulli Sophismatis abreptos his adhæsisse, multo item plures, eosdemque doctiores, & in fide fortiores repugnasse. Concilium Nicenum I. a quo illius baptismus uti sacrilegus proscribitur, atque iterari jubetur, non obscure indigitat, disceptationem hanc ad Nicænam usque Synodum perdurasse; quæ propterea peculiaribus canonibus litera de Paulli Samosateni baptismo jandiu jactatam dirimere debuit, quam reapse diremit. Quod si Cataphrygum baptismum certo canone non exsufflavit assignandum est honori, & quidem maximo in quo Patres Nicæni evangelicam formam continenter habuerunt verum quod reliquorum hæreticorum baptisma, veluti enchratitarum Hydroparistarum, Novatianensium, & his similium ne generatim quidem meminerit Nicæna Synodus, magno est argumento, aliarum hæresum baptisma orientalis Ecclesiæ Patribus fuisse probatum. Quod si aliquando iisdem improbatum novis-

viſſet Nicæna Synodus, Firmiliano præſertim, atque Heleno, ceteriſque Iconienſis, & Synnadenſis Concilii Patribus, nec ſatis, nec leviter tanto huic fidei diſcrimini conſuluiſſet, quandoquidem tot, tantorumque hominum auctoritate, & opinionis firmitate, quæ Orientem, atque Occidentem pervaſerat, tandem aliquando reviviſcere poſſet. Contra non incongruenter exiſtimandum; rebaptizantium hæreſim neutiquam fuiſſe revicturam, ſi plenario Nicænæ Synodi judicio damnata fuiſſet, veluti judicavit de Cypriano Auguſtinus. Hoc vero uſque adeo ſimile eſt, ut etiamſi id verum eſſet, quod Baronius contendit de pace Eccleſiæ reddita ab Anabaptiſmi aſſertoribus, Dionyſii ad Xiſtum literis non bene perceptis, quibuſque eruditioribus, ipſoque literarum contextu repugnantibus; nihilominus recenti admodum, & perículoſo errori peculiari cautione occurrere debuiſſet, quod quidem commode illo ipſo canone contra Paullianiſtas exceptione una pauciſſimis verbis præſtare potuiſſet; id vero non præſtitit; nulla igitur fuit id præſtandi neceſſitas.

XVI. Hoc itaque jacto fundamento, quæ demum contentio Stephano cum Firmiliano eſſe potuit? ſi controverſia, quæ de baptiſmo in Oriente Firmiliani temporibus agebatur, quæve ab œcumenica Nicæna Synodo I. judicata eſt, non Novatianenſium, illiſque ſimilium baptiſma ſpectabat, ſed Paullianiſtarum. Qui tandem Stephanus tam dubio decreto, ac tam late patenti jubere poterat *a quacumque hæreſi* revertentes non fore rebaptizandos?

dos? Quo enim pacto Basilius Firmilianum, & Cyprianum perstringit, quod istorum baptismatum discrimen non introspexerint, qnod erat maxime introspiciendum, eodem prosus Stephanus perstringi posset, quod a quacunque hæresi revertentes indiscriminatim rebaptizari vetuerit. Siqui vero Stephanum de solo baptismo, qui cum invocatione SS. Trinitatis præstabatur intelligendum esse contendant, ut plane contendunt, jam stolidum, & malevolum Cyprianum notant, quippe qui non hæsitans scripserit in Epistola ad Pompejum. *A quacunque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, idest omnium hæreticorum baptismata justa esse, & legitima judicavit. Et quum singulæ hæreses singula baptismata habeant, hic cum omnium baptismo communicans, universorum delicta in sinum suum Coacervata congessit*. In tanta hac monumentorum perturbatione nil congruentius judicandum occurit, nil etiam verosimilius, quam ut Orientalium contentionem de anabaptismo in Eusebianas fabellas rejiciamus.

XVII. Eusebius inquam Cæsariensis Episcopus, quo non antiquior alter, sed nec eruditior super hac disceptatione scriptor existit, universam de Orientalium atque Afrorum anabaptismo historiam confinxisse, atque occasione hæresis Cataphrygum, & Paullianistarum omnia miscuisse mihi non injuria videntur. Hic opportune in memoriam revocanda est magna illa, & justissima suspicio, quæ de Eusebii historia non modo nostrorum temporum doctissimis viris, sed & Sanctis Ecclesiæ Patribus, sed

&

& Conciliis œcumenicis, ſed & ſummis Pontificibus injecta eſt; quæ quidem ſuſpicio notior eſt, quam ut poſſit noſtris argumentationibus comprobari. Id potius inquirendum videtur: quid ſibi tandem Euſebius propoſuerit in hiſce commentis effingendis? Cauſa enimvero, quæ Euſebium impulit, ut tot tantaque de Anabaptiſmo mentiretur, tam magna eſt quam quæ maxima, quam cauſſam antequam aperio, illud ſtrictim curſimque animadvertendum eſt: Euſebium nedum Arianum fuiſſe, ſed & uti Hieronymus illum vocitat lib. primo Apologiæ adverſus Ruffinum *Arianæ quondam ſigniferum factionis*, & ut Nicephorus Patriarcha C. P. in duodecim Capitulis cap. 2. *Arianæ inſaniæ Principem, qui plura, & pejora quam omnes Ariani in Filium Dei, e D. N. J. C., & Deum contumelioſe, & impie protulit*, atque ita Principem, ut una cum altero Euſebio Nicomedienſium Antiſtite Euſebianorum nomen Arianis dederit. Utque alia bene multa veterum Patrum teſtimonia de Euſebii Arianiſmo prætercam, illud Satis mirari non poſſum: Hankium in lib. de Bizant. Rer. ſcript. Græc. par. pr. cap. pr. id pronunciare potuiſſe: *Eſſe prorſus incertum an Arianis, vel Orthodoxis annumerandus ſit... & via tutiſſima illos incedere, qui poſt Synodum Nicænam Euſebium Arianum fuiſſe neque negantibus, neque affirmantibus accedentes, judicium ſuum ſuſpendunt*; ſed nec minus miror, doctiſſimum Pagium tam precipiti Hankii judicio acquieviſſe; niſi id eſt quod ſuſpicor. Hankius plus æquo Euſebio ſtudebat, & Pagius Hankio, ſed Hankius meo

quidem judicio excusabilior quam Pagius, quippe qui falso id sibi persuaderet: historicos Eusebii libros ante Nicæni I. celebrationem fuisse conscriptos, a qua sententia refugit Pagius, & quidem merito; cum Arianus error in libris universis, post Nicænam Synodum ab Eusebio descriptis, quin & in sui ipsius factis nullo negocio, tametsi cetera ignorarentur, possit aut aperte deprehendi, aut tacito dignosci; quemadmodum, & aperte deprehenderunt, ut Recentiores omittam, & Hieronymus; & duo Patriarchæ C. P.[ni] Photius, & Nicephorus; & tacito Verbo, & scripto ab eodem ipso vendicatam dignoverunt Athanasius, rursumque Photius. Illud etiam minimum valet: Eusebium Nicænæ fidei subscripsisse; & aliquando post Nicænum Orthodoxam fidem præsetulisse; nam ut Epiphanius Diaconus in Synodo 6. œcumenica act. 6. præfatus est: *subscripsit labiis, non corde, quemadmodum, & omnes epistolæ illius, & commentaria ostendunt. Quod si alias aliquando* [pergit idem Epiphanius] *pro temporis, & rei conditione mutatus apparuit, nunc hos laudans, qui stabant a partibus Arii, nunc vero veritatem simulans, profecto ob id secundum Jacobum Fratrem Domini, homo duplicis animi, & inconstans in omnibus viis suis dicetur*. Idipsum eadem plane sententia Magnus Athanasius prædixerat de eodem Eusebio lib. de Syn. Nic. decr.; quæ si satis Hankio non fuissent ad Eusebium arianæ hæreseos culpandum post celebratam Nicænam Synodum, & illud meminisse debuerat: Eusebium Cæsariensium Antistitem Tyrio Arianorum Concilia-

ſiabulo præfuiſſe, & contra eximium Athanaſium tam indigne ſtantem, ut judicem ſediſſe.

XVIII His adnotatis, nunc illud ſedulo inquirendum: quid ſibi Euſebius propoſuerit in ejuſmodi hiſtoriæ confictione? Verum, & iſtud aſſequi minime poterimus, niſi alterum præmittamus, quod caput eſt, & ſumma Euſebianæ verſutiæ. Ad rem igitur mature animadvertendum eſt; Paullum Samoſatenſem fundamenta jeciſſe arianæ impietatis, & Arium contra veluti expolitorem, & perfectorem fuiſſe paullianæ blaſphemiæ. Ajebat Paullus: Chriſtum Dominum purum, putumque hominem fuiſſe. Affirmavit Arius: Verbum Dei meram eſſe Creaturam, omnium principem, tum perfectione, tum etiam tempore. Quod vero adjicitur inanimum tantum corpus hominis aſſumpſiſſe, id non Ario, ſed ejus ſectatoribus per Marium Mercatorem adjudicatur. Cujus tam execrandæ blaſphemiæ ſummam, adverſus Chriſti Divinitatem, tametſi ab Ebione, Arthemio, ac Theodotho Arius accepiſſe videri poſſit; Paullus tamen Samoſatenus perniocioſiſſimi erroris inſtaurator potiſſimus tum Epiſcopatus dignitate, tum temporum vicinitate erat, & habebatur. Hinc plurimum intererat Euſebii, ut diſceptationem, quæ pridem apud Orientales exarſerat de baptiſmo; [ſi quidem exarſit], ſuppreſſo Paulli Samoſateni nomine de induſtria miſceret, ac perturbaret. Etenim cum generatim ſcripſiſſet hæreticorum baptiſmum fuiſſe a Græcis Patribus proſcriptum, & a Romanis Pontificibus vendicatum, jam illud conſequebatur

tur Paulli baptisma ea injuria fuisse a Græcis oppugnatum, quo jure a Romana Sede fuit assertum. Ex quo item altera ducebatur consecutio, nimirum: non magnopere curandam Paulliani baptismi damnationem per Nicænum Conventum sancitam; quandoquidem in Iconiensi, ac Synnadensi Synodo Kataphrygum ac Paulli Samosateni, tum reliquorum hæreticorum baptisma fuerat eliminatum; quod tamen Stephanus Summus Pontifex nullo hæreticorum discrimine; nulla baptismalis formæ ratione habita, strenue, ut Romanum Pontificem decebat, contra doctissimos, ac SS. Græcorum Antistitum vendicaverat. Inde etiam major suspicandi præbetur occasio, quod quum Eusebius Cæsariensis minutiora non pauca de anabaptismo tradiderit, de audacissima tamen, atque impiissima paulliana formula ne verbum quidem egerit, perinde ac si Orientalibus Patribus æque irritum fuisset quod a mitioribus hæreticis in nomine Trinitatis præstabatur lavacrum, atque illud, quod in nomine Paulli; quod nemo sibi persuadeat, nisi qui omnem prudentiam, doctrinam, & æquitatem iisdem inficietur.

XIX. Subest & altera caussa, & quidem gravior modo explicata, quæ certe majorem cum argumento, de quo nunc agimus, conjunctionem habet. Nimirum Arianorum conniventia pro Donatianis, quibuscum ut fœdus inirent manibus pedibusque contenderunt. Videbant siquidem Ariani quantum rebus suis consulerent, si Donatianorum rationibus inservirent. Non uno in loco quæsiti hujusce

fæderis meminit Augustinus, præsertim in colloquio habito cum Fortunio Donatista quod enarrat epist. 45. *Sane quoniam nescio quomodo audieramus Arianos cum a communione catholica discrepassent, Donatistas in Africa sibi sociare tentasse, ad aurem mihi hoc ipsum Frater Alipius suggessit*. Quandam vero societatem Donatistas inter atque Arianos initam fuisse diserte tradit Augustinus Epist. ad Bonifa. 185 quæ *de correctione Donatistarum* inscribitur, in qua discrimen statuit inter sententiam Donatistarum, atque Arianorum circa Verbi naturam. De illis meminit: *eorum aliquos minorem Filium Patre esse affirmare, non item negasse ejusdem esse substantiæ. Plurimi oppositum credebant*; quæ novissima verba satis innuunt turbolentiores dumtaxat Donatistarum, eosque fortasse primarios, aliquanto arianæ hæresi adhæsisse, non quo Donato Magistro suo adhærescerent; neque enim usque eo ausus est Donatus, sed quo Arianis morem gererent, sibique vicissim præsidium quærerent; acerbiusque catholicam conjunctis viribus divexarent. Quid igitur mirum si Eusebius *Arianæ factionis signifer* qua re cumque potuit Donatianis vicem rependere studuerit? quod cum in multis, quæ ignorantur, tum maxime prestare potuit, atque adeo debuit in ecclesiastica, quam conscripsit, historia, in qua multa confinxit, multa permiscuit, longe plura obscuravit; & quæ maxime conscribenda erant, omnino reticuit; contra vero quæ sibi ad Donatianum Schisma confirmandum idonea visa sunt, præcipue in causa anabaptismi dolose, atque adeo perfide confinxit.

XX. Eusebii itaque Cæsariensis versutia, & Nicæni Concilii silentio de reliquorum Hæreticorum baptismo hactenus expensis; superest ut propius rem inspiciamus; quod mihi diligenter non minus præstandum est, quod nonnullos nec mediocris notæ Auctores hallucinatos animadverterim, nimium sibi blandientes de Canonica ejusdem Concilii Sanctione contra Anabaptistas. Enim vero si de Canone XIX. agatur, tantummodo de Paullianistis sermonem habet; sin autem de VIII. agit quidem de Novatianensibus, at non de Novatianensium baptismo, sed de illorum ad Catholicam reditu; immo ne de Novatianensibus quidem omnibus sed de Clericis tantum, de quibus sancivit: *ut impositionem manus accipientes in Clero permaneant*. Jam vero si Eusebium ipsum consulamus maxima, quæ pro rebaptizandis hæreticis in Oriente juxta ac in meridie mota erat contentio, ex hæresi Novatianensi occasionem habuit. Quis vero satis miretur temporibus Concilii Nicæni vigente adhuc, & insolescente hæresi Novatianensi, ne verbum quidem unum de Novatianensium baptismo a Nicænis Patribus fuisse prolatum? Nisi id est, quod fit ratione consequens: Nicænis Patribus id fuisse compertum, neminem unum inter Episcopos Orthodoxos in Oriente fuisse, qui anabaptismo favisset. Quod si secus, atque ego conjicio, res se haberet, quid necessarium magis, quid etiam expeditius, quam errorem jam vetustate firmatum, duobus Conciliis Iconiensi, & Synnadensi a suæ gentis Episcopis acriter propugnatum, ac propterea, ut si

quis

quis alius, periculosissimum, ac demum per idem tempus Africanæ Ecclesiæ permolestum tandem aliquando convellere, & errandi occasionem credulis, ac simplicioribus avertere? non convulsit autem errorem, occasionem non avertit; igitur nec fuit convellendi, nec avertendi necessitas.

XXI. Dicat quis: potuisse quidem anabaptismum a Nicænis Patribus proscribi, quin & debuisse, & proscriptum enimvero fuisse; sed hisce temporibus ignorari; quod acta Nicænæ Synodi pene omnia interciderunt. Nugæ. Quid igitur caussæ fuit, cur Constantinus Imperator, ejusque Catholici successores Donatistas identidem turbas excitantes ad Nicænos Canones non provocaverint? Quid quod Catholici in tot cum Donatistis collationibus nunquam magnæ Synodi sanctionem proposuerunt, nec aliquando Donatistæ ab illius auctoritate se tuiti sunt?

Urgeat adhuc, & subdat: ante Nicæni Concilii celebrationem annos circiter viginti Donatianum schisma prodiisse, & in judicio Episcoporum Romæ primum sub Miltiade post annos septem, deinde Arelate anno posteriori fuisse damnatum, atque uno eodemque anno Donatistas ab Arelatensi Concilio ad Imperatorem provocasse, cui mens erat: dissidentium Episcoporum lites componere, pacemque Africanæ Provinciæ restituere. Constantinum vero id perficere adortum fuisse quod animo complectebatur, inde licet argumentari, quod Cæcilianus Carthaginiensis Episcopus, quem unum impetebant & Donati rabies, & Donatistarum in-

vi-

vidia, Nicæno Concilio interfuiſſe. Cur autem intereſſet, niſi ob Donatianum negocium? Probabilius itaque videtur affirmandum: ſententiam de anabaptiſmo occaſione ſchiſmatis Donatiani certo aliquo canone, tametſi temporum injuria deperdito, a magna Synodo fuiſſe improbatam.

Verum iſtiuſmodi conjecturas fieri vetat Arianæ cauſſæ magnitudo. Verendum quippe fuerat piiſſimo Imperatori, ne dum alienis rebus conſuleret ſuas exturbaret, nimirum ut ait Tillemontius: *Animadvertit Orientem graviori morbo, quam Africa, laborare, neque tum eum eſſe, qui graviter ægrotans, alienis poſſet vulneribus medelam preſtare.*
Veriſſime dictum ab Horatio de Art. Poet.

Segnius irritant animos demiſſa per aures.
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Præterea: Qui fieri potuit, ut uno Cæciliano præſente, ceteris omnibus abſentibus, atque inauditis, diſſidium graviſſimum ſedaretur? Pone vero, non Cæcilianum tantum, ſed & complures Afrorum Antiſtites conveniſſe, qui tandem fieri potuit; ut latini Patres ſerio, fructuoſe, atque expedite coram, & cum Græcis diſceptarent? Ecquid tandem boni ſibi Conſtantinus pollicebatur ab hominibus pertinaciſſimis? qui dudum duo Concilia adverſum ſe celebrata irrita fecerunt. Quam vero ſpem conciliaris expeditionis conciperet? Si Arianorum cauſſam cum involuta, ac turbulentiſſima Donatiſtarum contentione conjunxiſſet?

ſet ? Cur autem Cæcilianus ad Nicænum conſeſſum acceſſerit, ſeu accitus, ſeu ſponte ſua, ſive religionis ſtudio, ſive ſeſe purgandi, ſive Cæſar eæ gratiæ aucupandæ cauſſa, omnino ignoratur. Illud perſpicuum eſt: de Donatiano errore nedum actu m non fuiſſe, ſed nec agi potuiſſe, atque adeo non debuiſſe.

XXII. Sentio quod habeant ad Auguſtinum confugium, qui ut Cyprianum eximat ab obſtinationis culpa ita de illo conjicit lib. 2. de Bapt. cap. 7. *Quum enim ſecutum ſe dicat ſententiam dicti Concilii, bac adteſtatione ſatis oſtendit, multo magis ſe fuiſſe commemoraturum, ſi quod de bac re tranſmarinum, vel univerſale Concilium factum eſſet* & ſubdit, e veſtigio: *Poſtea vero dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non ſolum inventa eſt veritas, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque deducta; poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus.* Plenarium vero judicium, quod Auguſtinus commemorat referri nequit ad Arelatenſe; non enim fuit plenarium; non ad C. P. I. quod viceſimo ſeptimo anno poſt Auguſtinum natum coactum eſt. Igitur id unum ſupereſt, ut ad Nicænum I. referatur; ergo & baptiſmi hæreticorum ratihabitio ad Nicænum eſt referenda.

Vereor, ne meis Lectoribus audacior videar, & confidentior quam ceteri; ſi in difficillimi Auguſtiniani hujuſce loci explicatione, poſt tot, tantaſque doctiſſimorum virorum diſceptationes, liberius quam par ſit ſenſum meum aperiam. Enimvero

talia mihi, ac tanta animo obversantur, ut quam liberrime pronunciare auxin: me satis mirari non posse, non paucos extitisse melioris notæ Auctores, qui Augustini effatum de Concilio Plenario, Nicæno potius quam Arelatensi adjudicaverint. Quæ vero me adducunt ut *Concilium Plenarium*, de quo loquitur Augustinus vindicem Arelatensi, hæc sunt.

XXIII. Primum. Qui stant pro Nicæno, non intelligunt quantum Augustini auctoritatem, ejusque Sapientiæ laudem extenuent. Quis enim credat Augustino provocanti ad Nicænum? in quo nil tale sancitum fuit. At enim si non directe sancitum, saltem per accessionem; Qui sic reponunt lædunt, quod est præcipuum in Augustino, nimirum Dialecticam; non enim est probi Dialectici persequi consectaria, cum possit principalia. Non diffiteor, ita Augustinum contra Donatianos argumentari potuisse: Nicæna Synodus Paulli tantummodo Samosateni baptismum abdicavit propter depravatam baptismi formam; non item Novatianensium, qui SS. Trinitatis invocationem cum Catholicis in baptizando communem habebant; igitur Anabaptismus damnatus fuit a Synodo Nicæna. Sed quanto directius, quanto etiam verius urgerentur Donatiani hac altera positione. Caussa finita est: Concilium Arelatense I. can. 8. ita sancivit. *Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de quacunque hæresi venerit, interrogent eum symbolum, & si perviderint eum in Patre, Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponantur,* *ut*

ut accipiat Spiritum Sanctum. Nec mihi reponant: potuisse Cyprianum non acquiescere Canoni Arelatensi, quemadmodum Donatistæ non acquieverunt; quandoquidem hæc responsio contumeliosa est in lenissimum Cyprianum, cui Donatianam pervicaciam ascribere impium esset, ac sacrilegum; præsertim cum Donatistæ ab Arelatensi judicio provocaverint ad Imperatorem potius ob absolutum Cæcilianum, quam ob suam damnatam hæresim; quam si obstinatius post Episcopale judicium propugnarunt, non eo demum obstinatio evadebat, ut hæc illis hæresis plurimum placeret; sed placebat tamen, quod viderent homines vafri, & veteratores, unum hunc errorem firmamentum esse schismatis sui, præterea nullum. Agebatur siquidem de exturbando Cæciliano a Sede Carthaginiensi, quippe qui ordinatus fuisset [ajebunt illis] a Traditoribus, qui quum fidem abdicassent, contendebant Donatiani jam non posse fidem præbere eum, qui fidem amiserat. Ob eam ipsam rationem, non ordinationem tantum, sed & baptismum ab fidei experti collatum irritum judicarunt; cujus obtentu quosque fideles ad Donati partem adsciscerent, ut verum baptismum consequerentur. Hæc summa erat hæresis Donatianæ, quam antehac homines alioqui perspicaces, & eruditi minus perspexerunt Sed de hoc fusius in dissertatione posteriori. Nunc ut ad Augustinum revertar de Cypriani docilitate prudentissime conjicientem, est & alterum expendendum, an Cyprianus acquievisset Decreto Nicæno? Equidem ipse non injurius ero mi-

tissimo Cypriano, si contendam impune Cyprianum obsistere potuisse Nicænorum Patrum Decreto, propterea quod in communi hypothesi Cyprianum existimantem, eam controversiam disciplinæ esse non juris, ita scripsisse autumant ad Stephanum Romanum Pontificem nomine Synodi Africanæ. *Qua in re nec nos cuiquam vim facimus, aut legem damus, quum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.* Iccirco id ratum erat Cypriano, unumquemque gentis suæ consuetudinem servare posse, *nemini præscribens, quo minus statuat quod putat unusquisque.* Reposuisset igitur Cyprianus: Quid mea si secus sentiant Orientales? Servent illi suæ gentis institutum; ego id custodio quod a majoribus nostris traditum est. Anne idipsum reponere potuisset Arelatensium Antistitum, pronunciationi? Neutiquam; nam plurimi Africani Episcopi ad Synodum Arelatensem convenere, eodemque & præcipuam totius Africæ consuetudinem de non iterando hæreticorum baptismo adduxerunt, & generalem totius Occidentis comprobarunt. At ad Nicænum unus convenit Cæcilianus; Quod enim triginta sex Africæ Episcopos ab Athanasio in apologia enumeratos Nicænæ adjudicat Norisius part. pr. Hist. Donat. cap. 10. merito illius dictum Ballerinii Fratres in nupera, & posthuma Norisianæ Historiæ editione, correxerunt, & Sardicensi Synodo, non Nicænæ ab Athanasio assignatos adnotarunt; ex illustri monumento Concilii V. collat.

5., in quo Benignus Heracleæ Pelagoniæ Episcopus ita effatus est. *Et hæc dicebat Augustinus de Cæciliano Episcopo Carthaginis, qui solus ex tota Africa pervenit ad Nicænum Sanctum Concilium.* Proinde illud vero simillimum est, Cyprianum cessurum fuisse Arelatensi sententiæ, Nicænæ non item, Illud etiam necessario consequitur: Augustinum utpote acutissimum, & Dialecticis præceptionibus optime imbutum in ea *Concilii Plenarii* appellatione ad solum Arelatense Concilium mentem, animumque adjecisse. Profecto hæc ratio tanti apud me est, ut affirmare non dubitem, eos omnino falli, qui implexum istud Augustini dictum ad Nicænum Concilium traducere conati sunt. Quid quod Augustinus Cresconio Orientalium literas objicienti Nicænos Canones non opposuit? quæ promtior responsio? quæ accommodatior? quæ expeditior? quam suspectis Orientalium literis certissima Orientalium statuta objectare? Non objectavit tamen, igitur nec potuit; nisi velimus magnum Augustinum oscitantiæ insimulare. Quid etiam quod Augustinus in celebri illo colloquio cum Fortunio Donatistarum Episcopo epist. 45. objectum sibi Sardicense Concilium, [quod verius aut Philippopolitanum, aut Nicænum ex Thracia Arianorum Conventiculum dicendum erat], hæsit, nec quo se verteret habebat, ac proinde & ad famæ rumorem, & ad Alipii occultum suggestum, & ad forenses cautiones sese convertit? Quidni Canones Nicænos Sardicensibus opposuit? Quid enim factu facilius? quid notius?

 quid

quid in caussa efficacius? Præterea Donatistæ male sibi consuluissent si Orientalis Concilii pro Anabaptismo Decretum adversus notissimum Magnæ Synodi Canonem proposuissent. Illi enim tametsi audacissimi, callidi tamen, rebusque suis sedulo prospicientes, nunquam pro se tuendis aut Romani, aut Arelatensis Concilii judicium supposuere. Nec secus illorum caussæ obfuisset Sardicensis Concilii propositio, quandoquidem perspectissimo Nicæni Decreto convinci possent. Neque tam simplices Donatistæ, qui crabrones irritarent; neque tam incautus Augustinus, qui quum sibi propositam difficultatem risu excipere posset, per tot diverticula subterfugeret.

XXIV. Nunc placet argumentum ab Launojo petere, & retractare. Augustinus Epist.43 al.162. hæc ad Eleusium scribit. *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt non bonos Judices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus caussa posset agitari, ubi si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrum fecerint probent: nos enim non factum esse facile probamus; ex eo quod totus Orbis non eis communicat: aut si factum est, etiam ibi sunt victi; quod ipsa eorum separatio manifestat*, & paucis interjectis. *Dedit ille aliud Arelatense judicium* &c. Quibus recensitis Launojus exclamat: *Potuit clarius? potuit expressius?* Addens. Quod restabat universæ Ecclesiæ judicium, idem ipsum paucis interpositis verbis Augustinus vocat judicium Arelatense, id est Concilium Arelatense, in quo de

non

non iterando hæreticorum baptiſmo Canon ſtatuitur octavus.

Reſpondet Cardinalis Noriſius ex Auguſtini verbis oppoſitum aperte conſtare; nam ſi Auguſtinus plenarium Eccleſiæ Univerſæ Concilium Arelatenſem Synodum fuiſſe docuit, non ſcripſiſſet: *Nos enim non factum eſſe facile probamus, ex eo quod totus Orbis non eis communicat*. Si autem in plenario Concilio Melchiadis ſententia confirmata fuiſſet, id Auguſtinus, non ex ſecuta communione Orbis, ſed ex ſententia plenarii Concilii ipſo facto, ut ajunt, oſtendiſſet. Nec dixiſſet: Si factum eſt etiam ibi victi ſunt. Cur enim dubitaſſet, an factum fuerit plenarium Concilium, quod ſtatim ſi Launojo credimus, Arelati celebratum fuit? Præterea Auguſtinus loquitur *de plenario Eccleſiæ univerſæ Concilio*, ubi etiam cum ipſis Judicibus cauſſa poſſet agitari. At Romani Pontificis ſententia non poteſt judicari a Synodo ex parte tamen ſui Patriarchatus coacta. Et alibi Launojus eo teſtimonio utitur, ut oſtendat Romanum Pontificem vel invitum ſubdi Synodo generali. At ex Auguſtino ex eadem Epiſtola certum eſt Epiſcopos *in poteſtate acta Synodi non habere*, contradicente Primate. Quare cum ſupra omnes, qui Arelati convenere, Primas fuerit Romanus Pontifex, ipſo contradicente, nulla acta Synodi fuiſſent. Hæc Noriſius.

At meo quidem judicio Launojus ex parte probandus, ex parte rejiciendus. Probandus eſt, quod loco tam inſigni perſpicuam fecerit Auguſti-

ni

ni mentem de Concilio Arelatensi; at rejiciendus; quod inde argumentum ducat, quo probet Romanum Pontificem vel invitum subdi plenario Concilio. Hujus profecto erroris caussam communem habuit cum Norisio, qui tametsi Augustinianæ Doctrinæ vestigator solertissimus habeatur jure meritoque, Augustini tamen contra Donatianos systema non penitus est assecutus, multo etiam minus Launojus. Neuter siquidem advertit duplex ab Augustino contra Donatianos systema perpetuo servatum: absolutum, & hypotheticum, uti vocitant; utramque hanc agendi rationem in disquisitione Cyprianicæ ad Pompejum epistolæ Theorem. II. posterioris Dissertationis aperiemus. Quod attinet ad disputatum Augustini locum, non erat, quod Scriptor Eminentissimus parvipenderet Launoji argumentationem; qui si non modo *ingentes clamores excitat, verum etiam pene triumphum sibi canit*, ut ait Norisius, enimvero ajo potuisse in eo Launojum serio triumphare, nec triumphandi caussam Norisium tam frivolis responsionibus Launojo ademisse. Cardinalis namque Norisius aperte hallucinatus est in explanatione Augustinianæ sententiæ, quæ epistola ad Eleusium continetur; quæ mihi per partes explicanda est, quo dilucidius Augustini mens introspiciatur. Sic itaque Augustinus: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt non bonos Judices fuisse*. Loquitur hic per concessionem, consectarie in systemate hypothetico, non in absoluto. *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum*

ipsis

ipsis Judicibus caussa posset agitari. Agit hic quoque in hypothesi, & quidem Donatistarum, qui Schismaticorum, atque Hæreticorum more, Romani Pontificis sententiæ non acquieverunt. Hinc illud consequens fiebat, ad Concilium Plenarium rem perducendam, ut Donatianæ pertinaciæ fieret satis; quid enim aliud agendum succurrebat cum hominibus Romanæ Sedi infensissimis, nisi ad plenarium Ecclesiæ Concilium provocare? Sed alteram hanc hypothesim Launojus ut si quis alius in Romanam Sedem acerbus, non perspexit, sed abreptus est nudo verborum sono; & quod magis mirere, nec Norisius posteriorem hypothesin animadvertit, quam si animadvertisset, profecto non quæsiisset diverticula, nec ad jus Romani Pontificis Primatiale confugisset, perinde ac si Romani Antistitis ex Cathedra pronunciata sententia tum demum judicari nequeat, quum ad Concilium ex suo Patriarchatu coactum adducitur, secus si ad plenarium Ecclesiæ universæ, quæ est seditiosorum hominum nova prorsus, & contorta sententia, cui nunquam Norisius adhæsit; at si verba Norisii spectes, eodem recidunt. Sed pace dixerim tanti Viri, præterivit ipsum peræque ac Launojum secunda Augustini hypothesis; hinc quum quid Launojo reponere non haberet ad alterum ejusdem epistolæ locum se convertit, quo illud Launojo ostenderet: Episcopos in potestate acta Synodi non habere contradicente Primate, unde illud erueret, quo Launojum urgeret; non ab Occidentalibus Episcopis Romani Pontificis Decretum

rescindi posse ob jus Primatiale, quod Summus Pontifex obtinet in Occidente; sed a plenario dumtaxat totius Orbis judicio. Sed hic aperte Norisius Romani Pontificis jura permiscet. Hunc etenim Occidenti præesse affirmamus non jure Primatiali, sed jure Patriarchico; jure autem Primatiali universæ Christi Ecclesiæ, quæ sub sole est, præesse dicimus. Consultius itaque Pagius, sed non verius, Arelatense Concilium Patriarchicum totius Occidentis appellavit, ne plenarium diceret. Quid plura? Augustinus ipse per se ipso eodem ejusdem epistolæ loco apertissime indigitat, se quodcumque aliud præter Romanum Concilium supervacaneum putare pro ratihabitione absolutionis Cæciliani, nam e vestigio hæc subdit: *Dedit ille aliud Arelatense Judicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens: & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Sinat jam Norisius me hic saltem exclamare. *Potuit clarius? Potuit expressius?* Anne videt Norisius quæ fuerit Augustini mens in provocatione ad Concilium plenarium? nempe eadem atque Constantini Augusti: connivere voluit Donatianæ impudentiæ; ceterum Cæciliani innocentia satis superque declarata fuerat in Romano Concilio, præsidente Summo Pontifice, ac proinde *non necesse erat Arelatense judicium.* Quæ quidem sententia respondet alteri satis insigni Augustini loco cont. duas Epist. Pelag. ad Bonif. lib. 4. cap. ultimo; quem si rixosi homines accuratius ponderarent, profecto tot, tantasque turbas minime excitarent in vendi-

can-

canda Plenarii Concilii necessitate post pronunciatam a Romano Pontifice sententiam.

Sed pergamus Augustiniani loci alteram partem expendere: *Quod utrum fecerint probent: nos enim non factum esse facile probamus: aut si factum est, etiam ibi sunt victi.* Quæ verba ita per Norisium reddenda forent. Quod Concilium plenarium utrum celebratum sit, probent Donatistæ; nos enim non factum esse hoc plenarium Concilium facile probamus; aut si factum est etiam in eo Concilio sunt victi. Et sane si ita interpretemur, egregie ab Norisio Launojo responsum. At instituta ab Augustino argumentatio interpretationem hanc veluti absurdam explodit: atque aliam appositiorem desiderat. Quoniam illud erat Augustino propositum, ut ostenderet: si Romani Concilii sententia a Donatistis de injuria postularetur, non ab alio dignoscendam esse quam a plenario Conventu, quem penes arbitrium erat rescindendi acta Synodorum Provincialium, si comperiantur male judicasse. An autem Romanorum Judicum sententias plenarium Concilium [quodcunque tandem illud fuerit] resciderit, probent Donatistæ; nos enim non fuisse rescissas facile probamus, ex eo quod post Romanum, & Deinceps celebratum Concilium totus Orbis Donatistis non communicat: aut si prior Concilii Romani sententia in plenario Concilio rescissa, aut retractata est; etiam in eo Concilio, damnatione Romanæ Synodi seposita, velint nolint convicti sunt; quod ipsa eorum separatio, quæ est post plenarium judicium

obſtinatior viſa eſt, manifeſtat. Quodnam autem fuerit hoc plenarium Concilium ſic explicat: *Dedit ille aliud Arelatenſe judicium.* Quid hic abſurdi reperit Noriſius? Verum enim vero magnum ipſe, atque inexcuſabile abſurdum deprehendo in Noriſiana interpretatione. Fac etenim ita propemodum interpretandum veluti Noriſius interpretatur: *Probent Donatiſtæ plenarium hoc Concilium factum fuiſſe*; *Nos enim Catholici non factum eſſe facile probamus*. Num hæc digna ſunt Auguſtino? Quid intererat Donatiſtarum Concilium plenarium vendicare? quid Catholicorum pernegare? Equidem ſi ſanus ſum exiſtimo, omnino oppoſitum ab Auguſtino dicendum fuiſſe, niſi maximum illud abſurdum probare velimus, quod eſt ratione conſequens: Donatiſtas nimium ſuæ cauſſæ confidere, Catholicos contra pene deſperare; nam Donatiſtæ ad Plenarium Concilium confugiebant, a quo Catholici abhorrebant. Ingenue fateor me diu multumque in hujuſce Auguſtiniani loci veſtigatione verſatum omnino percipere non potuiſſe, qua demum ratione adductus affirmaverit Noriſius ex Auguſtino: Concilium hoc plenarium factum non fuiſſe, quum hoc ipſo in capite, in quo hæc autumat, id ſibi negocii det, ut oſtendat plenarium illud Concilium ante Auguſtini ortum celebratum, non Arelatenſe, ſed Nicænum I. fuiſſe; fuit igitur celebratum; ſive Arelatenſe putes, ſive Nicænum ad rem non attinet. Noriſius ut negaret Arelatenſe, omne Concilium negavit; ut Nicænum aſtrueret pugnantia ſcripſit. Equidem ſic exiſtimo

Car-

Cardinalem Norisium ejusmodi explicationem a Summo Consarcinatore, ab Natali inquam Alexandro mutuatum fuisse; cujus pro Nicæno argumentationes in portu impingunt; propterea quod duplex Augustini contra Donatianos systema nec ipse discrevit; forte etiam ceteris miserabilius permiscuit, quemadmodum in probatione assumptionis II. argumenti ad hanc ipsam quæstionem, in qua quum id sibi demonstrandum suscepisset: Cæciliani caussam Orbi Terrarum non innotuisse, ut inde Concilii Arelatensis plenitudinem inficietur, Augustini loco in lib. ad Donat. post Collat. cap. 18. intollerabiliter abusus est. Sic autem habet Augustinus: *Hæc verba per orbem Terræ universa personat Ecclesia: Testimonium Dei novi; negocium Cæciliani non novi*. Quæ verba si ad literam sumantur, & illud a vero absonum consequens fit, non Orientalem modo, sed & Occidentalem Ecclesiam Cæciliani negocium ignorasse. Sed Augustinus more suo refugit quæstionem facti pertractare, & perstat in quæstione juris. Ob id fatetur identidem, se Ecclesiam, non Personam defendere; quod ut rite præstet historias contemnit; suimet defensionem præterit; multa item apertissime falsa Donatistis concedit. Quum vero a suppositione progreditur ad positionem absolutam, secus sentit, atque profàtur. Verum de hoc fusius, & opportunius in posteriori dissertatione. Quod adjicit ex eodem Augustino lib. 4. Conc. Cresc. cap. 25. de tot Orientalium Provinciis, *ubi Cæciliani non dico falsum crimen, sed forte nec verum nomen auditum est*; nihilo

 hilo

hilo plus valet ad Arelatensis plenitudinem denegandam, ut infra demonstro, ubi & postremum Alexandri argumentum ex plenarii Concilii definitione petitum diluitur. Ceterum non modo Cæciliani verum nomen, sed & eximiam virtutem præclare testatur Magnus Athanasius orat.pr. in Arianos, & satis perspecta fuerunt Nicænæ Synodo universæ, cui Cæcilianus unus ex omnibus Afris interfuit.

XXV. Jam vero commune, utque illis placet firmissimum Nicæni Assertorum perfugium est dejiciendum. Illi vero ita ratiocinantur: enimvero Augustinus non quodcunque Concilium respexit tum quum appellavit *plenarii Judicii auctoritatem, & robur*, sed Concilium dumtaxat œcumenicum, cujusmodi omnium maxime Nicænum est, atque vocatur. Contra Arelatense nunquam pro œcumenico Concilio ab Ecclesia habitum est. Tutius ergo, ac verius, & catholicæ sententiæ conformius Augustinum de Nicæno, non de Arelatensi loqutum existimandum est: qui hanc argumentationem instituunt vident in Augustino, quod ipse non video: atque e contrario non vident in Arelatensi, quod mihi [nisi me valde amo] videre videor. Vident illi in Augustini Concilio œcumenicitatem; equidem ipse video plenitudinem, œcumenicitatem non video [liceat mihi hac voce uti græco fonte cadenti, & parce detorta.] Contra non vident in Arelatensi Concilio œcumenicitatem quam si me probe videre affirmem, jam tum me hallucinatum dicent; at si etiam demonstrem, jam non amplius hal-

hallucinatus fuero. Num Augustinus quum conjicit de illius Concilii robore, & auctoritate statim de generali Concilio, non de plenario intelligendus erit? aut si de plenario, num etiam œcumenico? quis hoc dicat nisi verborum proprietatis, & Augustiniani loquendi moris ignarus? Nam si *Plenarium* Concilium eatenus accipias, quatenus ad *Generale* traducas, jam tum nimium mihi rigidus eris interpres; nam *Plenarium* severe acceptum neminem excludit; atque ita duo consequuntur minime consentanea, & satis inepta. Alterum: nullum Concilium in Ecclesia fuisse plenarium; alterum: Augustinum neque Arelatense, neque Nicænum Concilium respexisse, sed tantum imaginarium. Vides ergo *plenarii* notionem eam esse, quæ & Metropolitico, & Patriarchico, & Œcumenico Concilio peræque aptari possit; quod si Generali attribuas, non alia plane ratione tribuere potes quam analogiæ, seu proportionis; *& geometrice*, ut ajunt, non *arithmetice*; nam si arithmetice sumas, in idem recidis absurdum modo propositum; nimirum nullum Concilium fuisse plenarium. Quod si *plenarium* geometrice accipias, ut plane accipiendum, quid obstat cur Concilium ex universo Occidente coactum, quin & quodvis Provinciale Concilium *Plenarium* geometrice non dicatur. Quo sensu Augustinus ad magnum Donatistarum Episcoporum numerum, qui ad Bagajense Concilium convenere animum advertens, vocat illud *plenarium*. At *plenarium Donatistarum* reponit Natalis Alexander. Ita sane fuerit, ut Alexander ominatur,

tur, per me licet; ergo potiori jure Arelatense Concilium dici potuit *plenarium Catbolicorum.* Dixi potiori jure, quod Arelatem non Catholici modo, sed & Schismatici cum Catholicis una convenere. Sed Augustinus, observat Alexander, Concilium dixit plenarium *Ecclesiæ universæ*: *Totius Orbis*: *cunctarum Gentium.* O lepidam animadversionem? quasi ad Nicænum, quin & ad ipsum Lateranense IV., quod fuit omnium Conciliorum frequentissimum, *ecclesia universa, Totus Orbis, cunctæque Gentes* arithmetice, non geometrice convenerint; quasi novum fuerit: amplissimam hanc nobilissimamque plagam, quæ est ad Occidentem solem, Terrarum Orbis nomine Augustini temporibus nuncupari, ut probe animadvertit Sirmondus in notis posthumis ad Concilium Arelatense I. Quis igitur vetat adducta ex Augustino ab Alexandro loca, Alexandri exemplo explicare de Concilio plenario Totius Orbis Occidentalis, Ecclesiæ universæ Occidentalis, cunctarum Gentium Occidentalium. Quis Augustinum vetare potuit ita cunctas gentes, totumque Orbem usurpare quemadmodum frequentissime Cicero eadem nomina usurpavit, quoties quidpiam cum laude, & gloria gestum commemorandum fuit, aut populi multitudo appellanda; utrobique enim universum Terrarum Orbem, cunctasque gentes exaggerando passim advocat, sed neque ob id ad Indos, & Garamantes, quin nec intra Europæ fines ad Germanos maxima ex parte id temporis ignotos, & ad populos qui sunt sub Septemtrionibus mentem ap-

pu-

pulisse arbitror. Haud aliter Augustinus Arelatensem Synodum plenarium universæ Ecclesiæ, totius Orbis, cunctarumque Gentium judicium per excessum appellavit, in rebus enim gravissimis commemorandis non tam modus attenditur, quam finis. At finis Augustino propositus in plenarii illius Concilii mentione, non alius sane fuit, nec esse potuit, quam Donatianæ litis cessatio, ac terminus. Clarissime vero Augustinus lib. 2. in lit. Petil. cap. 92. ait Constantinum Cæsarem in Arelatensi Civitate Synodum indixisse, ut a Donatistis mota quæstio *multorum interventu finem posset accipere*. Annon mathematice demonstravi Arelatensis Concilii plenitudinem?

XXVI. Nunc alterum aggredior, ejusdemque Synodi œcumenicitatem pene sub oculis ponere confidentius polliceor. Equidem satis mirari non possum, viros ceteroquin doctissimos, & emunctæ naris, perperam, ne dicam temere, id tutissime docere extra omnem controversiam, neminem unum Orientalium Episcoporum ad Arelatensem Synodum accessisse. Bone Deus! Quibusnam affirmantibus documentis istud conjiciunt? Porro sex extant monumenta, unde Arelatensium Patrum numerus, & Provinciæ, erui possint. I. Augustini locus lib. pr. cont. Epist. Parmen cap. 1. II. inscriptio Epistolæ Synodicæ missa a Patribus Arelatensibus ad Silvestrum R. P. III. Subscriptiones Patrum. IV. Epistola Constantini Imperatoris ad Chrestum Syracusanum Episcopum. V. Testimonium Concilii Arelatensis Secundi can. 18. VI. De-

nique vetuſtiſſimi ejuſdem Concilii Arelatenſis primi Codices. Quæ breviter, & ſingulatim ſunt expendenda.

Primum itaque Auguſtini textus loco citato ſic habet: *Uſque adeo dementes ſunt homines, ut ducentos Judices, apud quos victi ſunt victis litigatoribus credant poſtponendos?* Sed hunc numerum CC. temere ab Amanuenſibus affixum obſervat doctiſſimus Valeſius; ſiquidem ibi Auguſtinus agit non de Arelatenſi, ſed de Romano Concilio, cui Optato Milevitano Auctore quindecim dumtaxat Itali, ac tres Galli interfuerunt. Neque tanti eſt Pagii conjectura ex Auguſtini contextu pro Arelatenſi, ut quod hic explicat de condemnatis Donatiſtis ab Hiſpanis & Gallis per judicii Synodici dictionem, affirmari nequeat de communione ab iiſdem cum Catholicis Afris ſervata inviſis Donatiſtis. Codex Vaticanus non habet To *ducentos Judices*, ſed *ut contra Judices*, quam lectionem ſecuti ſunt Editores Maurini. Præterea ſuſpicatur Cardinalis Noriſius Arelatenſem hanc Synodum nomine tenus Auguſtino cognitam fuiſſe; quam ſuſpicionem tametſi confirmamus, non ſtatim concluditur non potuiſſe Auguſtinum ad hanc Synodum mentem adjungere, etenim ob eam ipſam conjecturam nec ad Nicænum, cujus acta Auguſtinum latuerunt, mentem adjicere potuiſſet.

Secundum ac Tertium monumentum, inſcriptio nimirum Synodicæ Epiſtolæ, & Patrum ſubſcriptiones, non magnum plerumque momentum afferunt. In hac vero Synodo omnino nullum, ſe-

cum

cum enim pugnat; quandoquidem in inſcriptione Synodicæ numerantur XXXIII in ſubſcriptionibus vero XLIV. non eſt itaque tribus hiſce prioribus monimentis nimis confidendum. Tria poſteriora mihi ſuperſunt expendenda: quibus fides longe major habenda erit propter auctoritatem, & ſcientiam eorum, qui hæc tradunt.

Fides vero non dubia, & maxima tribuenda eſt teſtimonio Conſtantini Imperatoris in Epiſtola ad Chreſtum Siracuſanorum Epiſcopum, quem invitat ad Synodum Arelatenſem, quo conveniſſe ſcribit Epiſcopos *e diverſis Provinciis prope infinitis*. Ecquis verius Conſtantino tantam hanc, & innumerabilem Epiſcoporum multitudinem teſtari potuit? quippe qui non modo ſummam rerum omnium poteſtatem haberet, ſed & Religionis ſtudio ad hanc Synodum conficiendam ſtimulos Epiſcopis addiderit, & commeatum ſuppeditaverit. Quid autem magis vero conſonum, & Conſtantini prudentiæ accomodatius? quam aliquot ſaltem Orientales Epiſcopos Arelatem expedire, tum ut quotidianam inquietorum hominum querimoniam generali Epiſcoporum ſuffragatione tandem aliquando interciperet; tum etiam ut de rebus in Concilio geſtis certior fieret. Sentio quid huic ſententiæ repugnantes mihi inſuſurrent: Heus tu qui paullo ante tot mendaciorum Euſebium poſtulaſti. Annon hanc Epiſtolam Conſtantini unus tradit Euſebius lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 5.? Euſebium enimvero calumniæ poſtulavi, fortaſſis etiam convici; at ſi in hac Epiſtola Euſebium

falſitatis arguerem injurius ipſe forem & calumnians. Euſebium falſum dixi, callidum, vafrum, doloſum, veteratorem, atque adeo perfidum; ſed ſtolidum, ſed ſui, ſuorumque immemorem, ſed amentem tandem dixi nunquam. Sed ſane ſtolidus fuiſſet Euſebius, quin & amens, ſi Imperatoris literas etiam tum inter vivos agentis, aut ſuppoſuiſſet, aut adulteraſſet. Sui item, ſuorumque omnino immemor fuiſſet, ſi tot tantorumque Epiſcoporum numero fœderatorum Donatiſtarum cauſſam infirmaſſet. Quin etiam quod Euſebius Arianæ factionis Signifer, & Donatianæ Patronus tam amplum Arelatenſium Patrum numerum tametſi generatim propoſuerit, magno eſt argumento; adeo perſpectum eum numerum toto Oriente fuiſſe, ut nulla foret aut in reticendo utilitas, aut minuendi facultas. Quid ad hæc Alexander? Reponit ſecus a Sirmondo verti; qui pro *infinitis compluribus* ſubſtituit. Quid mea ſi Sirmondus ſecus vertit atque Valeſius celeberrimus Euſebii Interpres, græcarumque literarum peritiſſimus? tametſi ejus epiſtolæ verſionem, quæ ex Apographo P. Sirmondi eruta eſt, Sirmondi eſſe non probet; Qui autem probet, cum Sirmondus ſtet contra Alexandrum pro Arelatenſi? cui ſi tale ac tantum documentum defuiſſet, ob contortam vocis ἀμυθήτων ſignificationem, ab judicio ferendo vir prudentiſſimus temperaſſet. Neque vero hic agendum: quomodo Sirmondus verterit, ſed quomodo vertendum fuerat. Fortaſſe vir modeſtus, & cautus quum eam epiſtolam latine redderet [ſi

ta-

tamen reddidit] receptiſſimam intuens eorum ſententiam, qui Synodum Arelatenſem plenariam eſſe inficiabantur a vera ejuſdem vocis ſignificatione abſtinuit, ampliſſimamque temperavit, quæ jam occupatas hominum mentes turbare poſſet, fidemque retardare. Quod ſi maturius vir ſolertiſſimus rem expendiſſet, ut ex notis poſthumis ad Arelatenſe Concilium videtur deinceps expendiſſe, non dubito quin pro *compluribus infinitis* cum Valeſio repoſuiſſet. Ceterum adjectum illud ἀμυθήτων numerum innumerabilem ſignificare, ſive *infinitum* per Valeſium, ſive *indicibile* per Nicolajum, [cujus plurimum intererat, ut numerum, quam poterat, arctiſſimum præferret] non alio teſte utar, quam Natali ipſo Alexandro, qui aut ſui immemor, aut re accuratius expenſa, & quod ad Sæculi. III. ſcripſerat, ad IV. expungens, Diſſert. IV. Quæſt. II. tres adhibet ad Nicolaji verſionem reſponſiones. Sunt autem iſtæ. „ At primo cur
„ reddere debuit Interpres *indicibilibus? potius* quam
„ *innumerabilibus?* cum vox græca ἀμυθήτων utrum-
„ que æquo jure ſignificet, ut vel ipſa vocabula-
„ ria græca evolventi perſpicuum eſſe poteſt, quæ
„ vocem illam utroque ſignificatu a Demoſthene
„ uſurpatam notant ?

„ Secundo: qua ratione indicibilia loca illa dici
„ poſſunt, niſi quia ſunt innumera ? An quia pa-
„ rum nota? Id ſibi fingat quiſquis poteſt &c. Ter-
„ tio. Loca illa parum nota non ſunt omnes mun-
„ di partes, & regiones prope infinitæ: at Conci-
„ lium II. Arelatenſe convocatam ait iſtam Syno-

 „ dum

„ dum ex omnibus mundi partibus; ergo non ea
„ ratione *indicibilia* ſcribit Euſebius, quod eſſent
„ parum nota, ſed quod eſſent prope innumera.
Hæc Alexander, & ad rem plane; ſed ſibi ipſe reponat, an P. Nicolajo non facile dixerim.

Quintum documentum pro Arelatenſis Lœcumenicitate ſuggerit Arelatenſe II. can 18. in quo Primum recenſens in eodem Arelatenſi oppido coactum ſic habet: *ad eam urbem ex omnibus Mundi partibus ſub S. Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium, atque Conventum*. Quibus in verbis non tantum admirabilem Epiſcoporum multitudinem obſervare Iubet, ſed & teſtimonii firmitatem, & certitudinem; teſtantur enim ſe *legiſſe*. Teſtificantur autem auctoritate ſynodica jure jurando devincta, nam ea teſtificatio Canoni inſerta eſt, ex conſequenti non ob unius, aut alterius lectionem, ſed ob lectionem publicam, & generalem, quæ, ut fidem Synodicam nanciſceretur, eſſe debuit firmiſſimi alicujus documenti, nec ſane alterius, quam Codicis auctograghi ejuſdem Concilii, quem ſimillimum vero eſt ad perpetuum ac ſummum Arelatenſis Eccleſiæ, & Civitatis ornamentum, poſt annos 131. diligentiſſime, ut par erat, ab Arelatenſibus aſſervatum fuiſſe. Annon hæc Arelatenſis Synodi teſtificatio *ex omnibus Mundi partibus* reſpondet alteri Conſtantinianæ epiſtolæ *e diverſis Provinciis prope infinitis*? Annon utrobique duo præcipua adjuncta indicantur? mira Provinciarum diverſitas, & innumerabilis Epiſcoporum multitudo. At inquiunt; Sententia iſthæc de innumerabili Arela-

ten-

tensium Patrum multitudine nova est, & perpaucorum. Risum teneam? Qui demum nova putari potest quæ vetustissimis monumentis innititur? Quid si perpauci permultos convincerent? non antiqua, non communia dicenda sunt, sed vera; nec dicenda solum, sed & probanda. Ipsi vero ecquam afferunt probationem numeri longe minoris, & Provinciarum tantummodo Occidentalium? Hoc ego fatis imputo: viros ceteroquin oculatissimos, Norisium præsertim, Pagium, & Nicolajum e sex monimentis, quæ Arelatensium Patrum numerum respiciunt, tria priora jam adducta, & expensa, quæ nihil momenti habent, ad Cœlum evehere; tria vero posteria, quæ firmissima, & inconcussa sunt, floccifacere.

Denique sextum, idemque novissimum monumentum e pulvere, ac tenebris eruamus, codices inquam antiquiores Concilii Arelatensis I. quorum tres extant MS. unus Corbejensis, alter Morbacensis Cænobii, tertius Parisiensis S. I., in quibus sexcenti Episcopi ad Arelatensem Synodum convenisse dicuntur. Primus itaque sic habet in indice testimonio Petri Constantii Tom. pr. Epist. Roman. Pontif. pag. 341. *Epistola sexcentorum Episcoporum ad Silvestrum Papam de diversis ordinationibus*. Et ad calcem epistolæ *expliciunt Canones, quos fecerunt DC. Episcopi in Civitate Arelatensi*. Deinde in altero Synodica epistola sic inscribitur: *Domino SS. Fratri Silvestro cœtus Episcoporum Sexcentorum, qui adunati fuerunt in Oppido Arelatensi*. In Parisiensi vero: *Concilium Arelatense I.*

sex-

ſexcentorum Epiſcoporum, in quo ſtatuti ſunt Canones XXII., quorum auctor maxime Silveſter Urbis Romæ Papa per Legatos, & S. Marinus Arelatenſis Epiſcopus extiterunt. Adſtipulatur huic numero Ado Viennenſis in Chronico. Forſitan quiſpiam dixerit: Quanti faciendos putas tres tantum Codices præ tot millibus, in quibus ſexcenteſimus iſte numerus non deprehenditur? enimvero tanti, quanti tres homines loquela præditos, & prudentia, præ infinita mutorum hominum multitudine; nec ſane pluris quam tres athomi quæ ſunt in hac rerum univerſitate præ altero Mundo qui non exiſtit. At iſti Auguſtinianæ mentis contortores quanti ſibi faciendum putant depravatum Auguſtini locum obſcurum & ambiguum, præ indubitatis & perſpectiſſimis teſtimoniis Imperatoris piiſſimi, & Gallicani receptique Concilii? nempe tanti, quanti faciendus eſſet homo ſuſpectæ fidei præ duobus viris ornatiſſimis, & probatiſſimis, in quibus ſit eximia virtus cum ſumma auctoritate conjuncta. Anne ſentiunt omnes ſibi dialecticas, & criticas, quin & ethicas præceptiones invertendas eſſe, atque miſcendas? ut unicum quod illis ſupereſt in Auguſtino perfugium non tutum, non firmum, ſed collabens, ſeu jam collapſum, quo jure, quare injuria propugnent.

Cardinalis Noriſius in Hiſtor. Donat. menſe ſuperiori Veronæ excuſa Typis Tumarmanianis part. pr. cap. 10. ægerrime tulit, Launojum Adonem ſecutum ſexcentos Epiſcopos Arelatenſi Synodo adjudicaſſe; pluribus iccirco verbis, multaque eru-

di-

ditione ex Collatione Carthaginiensi quæsita conatus est Arelatensis Concilii amplitudinem imminuere. In magna [inquit] collatione Carthaginensi tertiæ diei cap. 347. hæc habentur: *Offerunt Donatistæ conditum a Patribus suis de Cæciliani damnatione Decretum, & hoc jubente Judice recitatur*. Et cap. 368. dixere Donatistæ: *Si de sententiis dictis nemo dubitat, Cæcilianus jure damnatus est*. Quid tum pro Cæciliano Catholici egere? non Arelatense illud Launoji plenarium universæ Ecclesiæ Concilium Synodo Donatistarum opposuere, sed Synodum Romæ a Melchiade celebratam, in qua Cæciliano purgato, Synodi Donatianæ acta rescissa sunt. Et cap. 456. hæc leguntur. *Alia documenta Imperatorii judicati super absolutione Cæciliani*. Quod si Arelatensis Synodus fuisset plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, grandi imprudentia Catholici in propria caussa prævaricati fuissent, qui Synodo LXX. Episcoporum novendecim Patrum sub Melchiade conventum opposuere, non vero Concilium, *cui transmarini omnes Episcopi interfuerunt* ut ait Launojus pag. 21. cap. 3. in Appendice, nempe quæ habuit Episcopos *plures quam trecentos decem* pag. 16. ibidem. Ita Norisius. Sed hæc Scriptoris præstantissimi animadversio multimodis peccat.

Primum in eo peccat, quod latius progrediatur quam velit Auctor, cui tantum illud propositum erat, ut numerum Arelatensium Patrum longe minorem suaderet atque Launojus jactitabat. At si Norisianæ conjecturæ fidem adhibeamus, jam

K inde

inde consequitur, Concilii Romani Judices sub Miltiade non modo suppares, verum etiam numerosiores fuisse Arelatensibus. Repugnat autem Constantini cautioni in epistola ad Chrestum, in qua monet ex Valesii versione, Donatistas *prolatæ jam sententiæ acquiescere noluisse, asserentes paucos admodum Episcopos sententiam tulisse*. Itaque Norisii conjectura non inficit Arelatensis Concilii numerum, sed auctoritatem, quam tamen inficere non redolet Norisianam sapientiam.

Secundo. Norisiano postulato alterum oppono: quærit ille: cur Catholici in Cæciliani purgatione Concilii Arelatensis Acta non protulerint, sed Romani? Quæro & ipse. Cur Catholici in dissidio super Anabaptismo, quod erat alterum, & potissimum Collationis caput, Nicænum Canonem non produxerunt? An altum in collatione Carthaginiensi de hoc Canone silentium derogat auctoritati, & existimationi Nicenæ Synodi? qui ergo deroget Arelatensi? Addo & alterum postulatum. Cur Augustinus in Collatione habita cum Fortunio Donatista, cum ipsi a Fortunio Sardicenses Canones objicerentur, Nicænum Canonem non opposuit? sinat jam Norisius me verbis suis eum referire. Quod si Nicæna Synodus omnium hæreticorum baptisma præter Paullianum ratum habuisset, grandi imprudentia Augustinus in propria caussa prævaricatus fuisset, qui pseudo-Synodo Philippopolitanæ Nicænum plenarium, totius Orbis, universæ Ecclesiæ, cunctarum Gentium non opposuit. Norisius difficultatem non adimit, sed au-

auget. Verumtamen si hanc spectes collationem, inter Nicænam Synodum, & Arelatensem illud interest, quod Nicæni mentionem omnino omiserit; Arelatense autem meminerit, ut ex Augustino in Breviculo Collationis diei tertiæ; neque *casu*, ut Norisius autumat sibi prospiciens, difficultatemque declinans, sed ad rem plane, & de industria, Augustino recensente. *Et recitatum est judicium Constantini, quemadmodum se inter partes caussam cognovisse ad Eumalium Vicarium Africæ scripsisset, quod remotis omnibus Arbitris Cæcilianum innocentem, illos calumniosissimos cognovisse testatus est, commemorans etiam in Arelatensi Oppido pro Cæciliano factum Episcopale judicium, cui judicio jam plurimi ex dissensione consenserant, reliquis adhuc desilientibus, & discordantibus; unde ipse de re tota coactus est judicare*. Nec multum refert in gestis collationis ampliorem non fieri mentionem, immo nullam Synodi Arelatensis; etenim gesta majori ex parte interciderunt; in indiculo vero Capitulorum plurima indicantur capitula, in quibus opportune, & ad rem satis Arelatensis Concilii judicium recitari, & pertractari potuit. Recitatum vero, & pertractatum fuisse Augustinus tradit, cujus Breviculum Collationis III. diei merito pro supplemento actorum Collationis appositum est a Labbæo. Quod autem Augustinus videatur Norisio Arelatensem Synodum nomine tenus attigisse, atque obiter, non multum habet momenti: Tum quod tametsi ita foret, ut Norisius ominatur, id non esset

præter Augustini institutum in hoc Breviculo, in quo compendio excipit ea, quæ in Collatione fuse gesta, & pertractata sunt. Tum etiam quod si res quæpiam gesta compendio excipiatur, satis enarrari censetur, si principalia ejusdem rei adjuncta percurrantur verius quam recenseantur; quo pacto Augustinus præcipuas, tametsi summatim, Arelatensis Concilii circumstantias retexuit; commemorat siquidem efficientem caussam, finem, locum, & effectus. Hanc porro Epistolam Constantini ad Eumalium tanti fecit Augustinus, ut illius meminerit in fine libri ad Donat. post Collat. & lib. 3. Cont. Cresconium cap. 71.

Instet quis cum Norisio; sed tamen casu perlecta est. Sit plene ut Norisius observat, secus semper erit ac Norisius concludit. Nam ex fortuita Imperatoriæ epistolæ lectione id colligit Norisius: Afris vel Catholicis Arelatense Concilium non magno in pretio fuisse. Profecto si de quopiam alio ab Norisio Scriptore ageretur, liberius reponerem id non esse divinare, sed mentiri: sed eximii Scriptoris amplitudo, & sapientia vetant; ne quid gravius proloquar. Profecto si Auctor dignitate, ac scientia Eminentissimus laudatum Augustini locum, a se contra Launojum, seu verius contra Arelatense Concilium adductum, medullitus introspexisset, non dubito, quin vir Clarissimus omnino abstinuisset tum ab eo judicio, quod de modica apud Afros Arelatensis Concilii existimatione pronunciavit: tum ab ea postulatione: cur Catholici Romanum potius sub Miltiade Concilium, quam Arelatense

in

in magna collatione proposuerint? nam duplius hujusce conjecturæ alteram iniquam, ineptam alteram arguit Augustinus i psis ejusdem verbis ab Norisio citatis, non recitatis. Primum namque relevat Augustinus ex Concilio Arelatensi, quanquam obiter citato, brevissime quidem, sed tamen relevat, quicquid Catholicorum caussæ emolumento esse poterat; cumque de Cæciliani purgatione ageretur maxime, ita monet: *Commemorant etiam in Arelatensi Oppido pro Cæciliano factum Episcopale judicium; cui judicio jam plurimi ex dissensione consenserant*. Deinde e vestigio caussam innuit, cur Catholici in ea Collatione, Arelatensi judicio non nimium confisi fuerint? quod nimirum Donatistæ ab Arelatensium Patrum sententia ad Imperatorem impudentissime provocaverint. Quam provocationem, tametsi Constantinus exhorruerit, recipere tamen coactus est, ac remotis arbritris per se judicare. En Augustinus *Reliquis adhuc* episcopali judicio facto in Arelatensi Oppido *desilientibus, & discordantibus, unde ipse de re tota coactus est judicare*. Quo demum coactus? nisi impudentia, pervicacia, susurrationibus, & obtrectationibus Donatistarum: prudenter itaque Catholici Acta Arelatensia in magna Collatione non exhibuerunt, non quod exigua foret, ut Norisio placet, Synodi Arelatensis auctoritas, & existimatio; sed quod maxima, & hæreditaria dignosceretur Donatistarum temeritas, atque audacia. Quid enim proficeret ejus Concilii propositio, a quo Majores Donatistarum impie appellaverant?

 Pro-

Protulerunt autem Romanum sub Miltiade, a quo Donatistas non appellasse egregie docet Norisius ipse contra Baronium cap. 9. part. 1., & quidem ex Augustino, nec Tillemontius omnino dissentit. Sin autem Catholici ad Arelatense judicium confugissent, jam tum a suscepto Consilio descivissent; id enim sibi animo proposuerant; ut Donatistarum moras, ac tergiversationes interciperent, qui ut Collationem eluderent *quæstiones interponebant morarum plenissimas* ut ait Aug. in Collat. III. diei cap. 17. *quia nihil aliud nisi moræ quærebantur.* cap. 16. iccirco factorum disquisitionem sedulo, atque adeo prudentissime declinabant, eorum præcipue quæ contentiosa forent, caussæque dictionem remorarentur. Hinc etiam magis ac magis necessitas elucet duo illa systemata Catholicorum, Augustini præsertim, contra Donatistas discernendi, quæ nisi quis dividat, in re Donatiana identidem labatur oportet.

XXVII. Pagius ad An. Ch. 314. id habet cum Norisio commune quod Episcopos CC. ex Augustini loco, nondum a PP. Benedictinis correcto, Arelatensi assignat; id vero præcipuum, quod Concilium hoc non plenarium, non provinciale, velut in collectione Conciliorum inscribitur, sed Patriarchale Concilium Occidentis appellat. At Pagii judicium speciosius est Norisiano, non firmius. Nam pace tanti viri dixerim, eum neque Augusti mentem assecutum, neque tam sedulo ut solet, Concilii Arelatensis finem perpendisse. Mens quippe Augustini eo in loco non alia fuit, quam tale

Con-

Concilium proponere, cui placidissimus Cyprianus facile acquievisset: *Quum enim secutum se dicat sententiam dicti Concilii, hac adtestatione satis ostendit, multo magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re Transmarinum, vel universale Concilium factum esset*. Sane si dixisset *vel* transmarinum, *vel* universale sub ea duplici disjunctione dubio procul *Transmarinum*, seu *Occidentale* ab *universali* secrevisset; quum vero sub unica disjunctione pronunciaverit: *Transmarinum, vel Universale*, quis vetat ita Augustinum interpretari, ut ea particula *vel* semel posita sit potius explicans quam disjungens? Neque illud obest, quominus universale Arelatense Concilium vocitetur, non ex omnibus Terræ plagis, ab Oriente præsertim Episcopos eo convenisse; [etsi hoc maxime donemus Pagio]; nam iis demum conveniendum fuerat, qui ad præcipuum ejusdem Conventus finem conducere possent. Potissima autem Arelatensis Synodi convocandæ ratio, retractatio certe fuit caussæ Cæciliani, ac propterea quæstio facti primario loco agebatur, secundo vero fidei caussa. Quid, proinde caussæ subesse poterat Orientalibus Patribus, ut ad Arelatense Concilium accederent? Qui enim eam facti caussam judicarent, quam omnino ignorabant? Ac proinde quis jure inficietur Arelatense Concilium fuisse *totius Orbis judicium*, quum ex universo Terrarum Orbe ii demum Episcopi convenerint, qui juridice caussam cognoscere poterant, quam sibi compertam habebant. Quin si Orientales Episcopi convenissent una cum Occiden-

dentalibus, jam tum Silvester R. P. & Constantinus Imperator operam lusissent; agendum quippe erat cum Donatistis hominibus callidissimis, ac turbulentissimis, qui non re, sed verbo ad Episcoporum judicium provocabant, qui si damnarentur ab altero Episcopali judicio, jam tum parati erant ad caussandum in Judicibus vel partium studium, vel facti nescientiam, vel judiciarias formulas; ita namque Romani Concilii sententiam caussati sunt. Quid enim optatius contingere poterat Donatistis, qui nodum in scirpo quærebant, quam ut Orientales Episcopi Arelatem ad ipsos judicandos accederent, quo confidentius ab Arelatensium judicio provocarent? Fuisset igitur non modo prudentis œconomiæ, sed & necessitatis, ne nova frustrandæ operæ occasio Donatistis præberetur, Orientales Ecclesiæ Patres Arelatensi Concilio prohibere.

XXVIII. Itaque si nominationem Arelatensi Concilio a Pagio attributam confirmemus, consequens est; neminem unum Orientalium Patrum ei Synodo interfuisse. Sit ita sane. Quid postea? Annon amplius plenaria sit? Voces illam quam libet Patriarchalem, per me licet, ego plenariam, & generalem vocitare non cesso: quod ut faciam Auctorem habeo Cardinalem Jacobatium de Conciliis lib. 2. quæst. 11. in apparatu ad Concilia Labbæi. Profecto qui ad plenarii œcumenicique appellationem omnium Episcoporum ex Universo Terrarum Orbe convocationem desiderant, non animadvertunt, quorsum hæc evadat illorum severi-

ri-

ritas; nimirum ut nova nominatio Concilio ipsi Nicæno adscribenda sit, nec amplius Plenarium, & Œcumenicum, sed Patriarchale totius Orientis sit vocitandum. Quin & si illius denominatio a præcipuo jure, quod obtinet Snmmus Pontifex super Orientalem Ecclesiam sumenda sit, non amplius Patriarchale, sed Archiepiscopale totius Orientis sit plane dicendum; has enim peculiares denominationes Episcopo Universali, omnium primo, ac summo tribui video; quam apposite, & prudenter non video. Neque est quod Pagius, & Pagio affines Nicolajus & Norisius, Nicænorum Patrum numerum mihi obtrudant, & ex Orbe universo convocationem, & congregationem; nemo siquidem mortalium hoc mihi persuadebit ad Nicænam Synodum ex toto Terrarum Orbe fuisse Episcopos convocatos, multo etiam minus congregatos, ad quam vix dimidium Græcorum Patrum, & Orientalis ipsius Ecclesiæ convenit. Ex Occidentalibus vero, tametsi Patrum subscriptionibus fidem accomodemus, demptis Apostolicæ Sedis Legatis, unum Nicasium ex Gallia Episcopum reperio, fortasse ob peculiaria suæ Ecclesiæ negocia ad Imperatorem profectum, vel Constantini ex Gallia in Orientem reducis Comitem, eaque de caussa tum, quum indictum Concilium est in Oriente cnmmorantem. Unumque ex Afris Cæcilianum, fortasse & ipsum ob Donatistarum injurias vitandas, ac sese sive apud Cæsarem, sive apud magnam Synodum magis magisque purgandum in Orientem profectum. Egregie pronun-

ciavit Cicero de Pythagoreis lib.pr. de Nat. Deor. *Tantum* apud Pythagoreos *opinio prejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas*. Enimvero, ut cetera prætermittam, quæ ad rem non pertinent, video notiones tam præjudicatas a Vulgo Theologorum de Concilio Generali efformari, ut homines ceteroquin Doctissimi, quos ego honoris caussa reticeo, hac præventione abrepti, cito, ne dicam oscitanter, eas receperint; & quod magis mirere, si facto opus fuerit, secus judicarunt, sibique contraria sunt prolocuti. Audi Pagium ad An. 381. de Synodo Constantinopolitana I. hæc exarantem: *Porro hæc Synodus a Theodosio Magno convocata*. Quam convocationem multis probat, dein subdit: *Denique si Theodosius Damasum consuluisset, is procul dubio Legatos ad hanc Synodum misisset, & ad eam Episcopos Occidentis convocasset. Quare vi convocationis solius Orientis Synodus fuit, & tantum ex postfacto œcumenica Synodus extitit, Damaso, totaque Occidentali Ecclesia hanc illi suo consensu dignitatem, & auctoritatem tribuentibus*.

XXIX. Nunc ad hominem, ut ajunt, libet contra Pagium argumentari. Concilium Constantinopolitanum I. celebratum fuit a CL. Orientalibus, insciente S. Damaso Papa, ac propterea nec ipsius Legatis pro eo ibidem præsidentibus; sed aliquo Orientali Patriarcha, seu Meletio Patriarcha Antiocheno, seu Timotheo Patriarcha Alexandrino, seu tandem Nectario Episcopo C. P.no Nemo unus Occidentalium Episcoporum ei Synodo interfuit, attamen ex postfacto Œcumenica

ex-

extitit Damaſo, totaque Occidentali Eccleſia conſentientibus [largiamur Pagio hanc Damaſi & Occidentalis Eccleſiæ conſenſionem, quam ipſe ingenio ſuo divinavit, repugnantibus duobus Romanis Pontificibus, iiſdemque Magnis, ac Sanctiſſimis.] Atqui Synodus Arelatenſis celebrata fuit ab innumeris Epiſcopis, [Occidentalibus omnibus an etiam Orientalibus, habeo ipſe quo affirmem, non habet Pagius quo neget] ſive a CC. tantum Epiſcopis [ut morem Pagio omnino geramus] conſenſu Summi Pontificis [ut ex literis Synodicis.] Preſidentibus ejuſdem Legatis [ut ex Actis Conciliaribus.] Ab ipſo eodem Pontifice confirmata, & ab univerſa Orientali Eccleſia recepta fuit. Ergo tametſi nemo unus Orientalium Epiſcoporum interfuiſſet, nihil vetat quo minus & Arelatenſis Synodus generalis, & œcumenica nuncupetur. Theſis eſt Pagii, omniumque Criticorum, qui verius Baronio de C. P. I. Synodo conjiciunt. Difficultas cubat in poſtrema aſſumpti particula, videlicet, an Synodus Arelatenſis ab univerſa Orientali Eccleſia recepta fuerit? Hoc vero tam proclivum eſt probare quam duo meminiſſe. Alterum: Arelatenſem Synodum primario loco convocatam fuiſſe pro dijudicanda Cæciliani ordinatione, ſecundo vero pro Anabaptiſmo damnando. Alterum: Cæcilianum, de quo lis erat in Arelatenſi, quive ab ejuſdem Patribus innocens, & rite ordinatus pronunciatus eſt, Nicæno Concilio interfuiſſe. Concilium igitur Nicænum primum confirmavit Cæciliani ordinationem, quem ad ſuf-

fragandum in Concilio recepit. Cavendum quippe fuit, & quidem diligentissime tum Episcopis Orthodoxis, tum etiam Constantino Augusto, ne obtentu illegitimæ suffragationis ansa daretur Arianis captiosissimis criminandi Concilii statuta, ab eoque ad aliud provocandi. Secundo ratum habuit [Pagio cæterisque fatentibus] omnium hæreticorum baptismum, præter Paullianum, quæ altera fuerit Arelatensis Synodi controversia. Recepit itaque Nicæna Synodus tum quoad jus, tum quoad factum Concilium Arelatense : ergo potiori jure quam Synodus Constantinopolitana I. Concilium Arelatense I. Plenarium, Generale, & Œcumenicum esse, ac dici potuit.

XXX. Dixi potiori jure, non modo quoad majorem Episcoporum numerum, & quoad formulas convocationis, & celebrationis; verum etiam quoad promtiorem, amplioremque acceptionem, quam videre est apud Magnum Leonem in Epistola ad Anatholium Ecclesiæ C. P.næ jura ex eadem Synodo, & ex nova Chalcedonensi vendicantem, adversum quam C. P.nam ita se exerit Pontifex eximius: *Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante septuaginta, ut jactas annos, facta subscriptio*. Et apud Magnum item Gregorium lib.6. epist. 31. *Romana Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius* [subde C. P.næ I.] *hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Satis denique perspectum est C. P.nos Canones noni-

nisi

nisi post sæcula fere octo in Lateranensi IV. sub Innocentio III. ab Occidentali Ecclesia recepta fuisse. Hinc duo consequuntur. Primum: si rem circumstantia consideres, potiori jure quam C.P.no I. Concilii Plenarii, & Œcumenici notionem Arelatensi I. congruere. Alterum; verum Concilii Generalis, & Œcumenici ideam ex duobus potissimum efformandam esse: ex numero Episcoporum congruenti, qui ex variis nationibus acciti sint; & ex Romani Pontificis confirmatione. Quæ ab nuperrimo Defensore declarationis Gallicanæ de Synodo Nicæna I. a Romano Pontifice non confirmata jactantur, frivola sunt, cavillosa, & falsa, quæ non est hic refutandi locus. Nunc illud attigisse sufficiat: Gallicanum Apologistam, quicunque tandem ille sit, muscas omnino venari, quandoquidem non erubescit ad novam, atque ipsis Gallis ante turbulentissimum sæculum XIV. inauditam sententiam firmandam, locum ex Eusebio lib. 3. de Vita Constantini, atque alium ex ejusdem Constantini Epistola ad Alexandrinam Ecclesiam in rem suam adducere, in quibus recensetur Constantini testimonium de ineluctabili Trecentorum Episcoporum judicio, quod Dei sententiam vocitat; perinde ac si tanti esset Neophyti hominis pronunciatio, quæ robustissimam sententiam de necessaria per Romanum Pontificem Concilii Œcumenici confirmatione, confringere posset; equidem non improbo Constantini judicium, quod verissimum usquequaque fuisse enimvero ajo, sed ineptam Gallicani scriptoris argumentationem. Fortasse

ſe non deſit, qui me pluribus verbis quam par eſſet in Auguſtini mente explananda immoratum exiſtimet. At ſi propoſitæ quæſtionis gravitatem, ejuſque ſolvendæ neceſſitatem ſagaciter perveſtigaverint, me ſibi purgatum fore confido. Multum quippe intererat ad ſuſceptæ diſceptationis inſtitutum rem plane novam, ſed veram tamen reſerare: nimirum nullam in ſenſu Donatiano ſuper baptiſmo hæreticorum controverſiam a Græcis Patribus ante Nicænum fuiſſe conſtitutam, nullamque per Nicænum in ipſo eodem ſenſu diremtam. Multum etiam oberat ad novam aſſertionem confirmandam notiſſimus Auguſtini locus, quem utpote generalibus verbis conceptum, ac proinde explicatu difficilem, magis etiam implexum, & involutum crebræ, & eruditæ Doctiſſimorum Hominum concertationes effecerant, Launoji præſertim, qui pro Arelatenſi, & Nicolaji, qui pro Nicæno diſceptavit.

XXXI. Antequam hoc caput abſolvo noviſſimum argumentum ſubjicio, quo ex Conciliarium ſanctionum ordine, contentionum Epochas de Anabaptiſmo, numerumque conſtituo. Quod ut clarius, præſtem, multiplices de baptiſmo controverſias poſt Nicænum ſubortas breviter attingam. S. Athanaſius paullo poſt Nicænum celebratum de Arianorum baptiſmo dubitavit, quod reſciſſet, Arianos baptiſmum miniſtrare: *In nomine Patris majoris, & Filii minoris:* occaſionem nactus ex damnato per Nicænum Paullianiſtarum baptiſmo, a quorum ſignifero Paullo Samoſatenſi ſuæ hære-

ſeos

seos summam Ariani mutuati fuerant. Exemplo S. Athanasii, ipso e vivis sublato dubitari cœptum est de Novatiensium Baptismo, quod illius nec expressa rejectio, nec confirmatio expressa in Nicæno deprehenderetur, sed per necessariam dumtaxat consecutionem, quapropter complures Asiæ Episcopos Laodicæam convenisse oportuit, quibus ratum fuit Novatianensium baptisma. Hinc non pauci Orientalium Patrum, ac præcipue Magnus Basilius, animadvertentes, Novatianensium Lavacrum acceptius feliciusque fuisse paulliano, de baptismo reliquarum sectarum, quæ fidem de Trinitate commaculabant, ambigere cœperunt. Hæc item dubitatio a Concilio C. P. I. paullo post Basilii mortem sublata est; ab eo siquidem Eunomianorum, Sabellianorum, & Cataphrygum baptismus repudiatus est; normaque recipiendi Novatianenses, reliquosque Hæreticos Evangelicam formulam custodientes definita.

Nunc ordine præpostero ex Conciliaribus damnationibus contentionum ordinem ita conjicio. Synodus C. P.na I. ejuravit Eunomianorum, ac Sabellianorum baptismum; quod hic in quæstionem a Magno Basilio vocatus fuisset. Concilium Laodicænum abdicavit Cataphrygum, ac Photinianorum baptismum, de quo lis mota erat post Nicænum. Ac demum Nicænum irritum fecit Paullianistarum baptismum, quod ante illius celebrationem in Oriente in contentionem venerat. Ex hac gradatione perspicue satis colligitur, Novatianensium, aliorumque his affinium hæreticorum baptismum

ptiſmum ante Concilii Nicæni tempora non fuiſſe a Catholicis Epiſcopis oppugnatum; neque prius de eo dubitatum, quam Nicæni Patres de cujuſpiam baptiſmi virtute dubitaſſent.

XXXII. Sed obſiſtere videtur Magnus Baſilius Epiſt. pr. ad Amphilochium cap. 1., in quo ſic ſcribit. *Verum enimvero Antiquis viſum eſt Cypriano dico, & noſtro Firmiliano eos omnes uno calculo ſubjicere.*

Reſpondeo multa deprehendi apud Baſilium de baptiſmo hæreticorum minus idonea, & ſecum pugnantia, quæ depravationem aliquam textus non obſcure indigitant. Utcumque res ſe habeat, dico S. Baſilium abreptum, deceptumque fuiſſe Euſebii Cæſarienſis hiſtoria, cujus auctoritas plurima erat apud Orientales, idque ex ſuppoſita tum Euſebii, tum Donatiſtarum traditione ſibi perſuaſum habuiſſe, inde potiſſimum conjicere licet, quod æqualem Cypriani, ac Firmiliani mentionem fecerit, quam tamen Græcus homo de Latino Scriptore, perinde ac de Græco ſibi in Cæſarienſi Sede Deceſſore, haud facere potuit. Deinde quod ibi affirmet S. Dionyſium Alexandrinum Firmiliano, atque Heleno nunquam non repugnaſſe, fraterne tamen, & veluti Firmiliani, atque Heleni apud Romanam Sedem ſequeſtrum fuiſſe; id aperte ex Euſebio exſcripſit. Quis autem ſerio credat Paullianiſtarum; & Cataphrygum baptiſmum ab eximio Dionyſio fuiſſe receptum? adeo ut ſi fides Baſilio habenda ſit, omnino ſit credendum, Stephanum Papam, & Xiſtum Stephani ſucceſſo-

rem

rem Montaniſtarum, & Paullianiſtarum baptiſma approbaſſe; Firmilianum contra, atque Helenum Novatianenſium baptiſmum juxta ac Montani, & Paulli Samoſateni reſpuiſſe; quod ne ipſi quidem Baſilio eadem epiſtola probatur.



CAPUT II.

FIRMILIANI

EPISTOLA SIGILLATIM,

Et per ſuas partes diſcutitur, variiſque conjecturis confictionis arguitur.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

S. FIRMILIANI

AD

S. CYPRIANUM.

Firmilianus Cypriano Fratri in Domino ſalutem.



Ccepimus per Rogatianum cariſſimum noſtrum Diaconum a vobis miſſum, literas, quas ad nos feciſti frater dilectiſſime, & gratias propter hoc domino maximas egimus: quod contigerit, ut qui corpore ab invicem ſeparamur, ſic ſpiritu adunemur; quaſi non unam tantum regionem tenentes,

tes, sed in ipsa atque in eadem domo simul inhabitantes. Quod & decet dicere, quia & spiritalis domus Dei una est. Erit enim in novissimis, ait propheta, diebus, manifestus mons domini, & domus dei super vertices montium. In quam convenientes cum jucunditate adunantur, secundum quod & in psalmo hoc postulatur a domino inhabitare in domo Dei per omnes dies vitæ. Unde & in alio loco manifestatum est, esse apud Sanctos magnam voluntatis caritatem, in unum convenire. Ecce, inquit, quam bonum, & voluptabile est, ut habitent fratres in unum. Adunatio enim, & pax, & concordia, non solum hominibus fidelibus, & cognoscentibus veritatem, sed & Angelis ipsis cælestibus voluptatem maximam præstat: quibus dicit sermo divinus, esse gaudium in uno peccatore pœnitentiam agente, & ad unitatis vinculum revertente. Quod utique non diceretur de Angelis, conversationem in cœlis habentibus, nisi ipsi quoque essent nobis adunati, qui nostra adunatione lætantur: sicut e contrario utique contristantur, quando vident diversas quorundam mentes, & scissas voluntates, quasi non tantum unum, & eundem Dominum simul invocent, sed separatis, & divisis ab invicem nec confabulatio jam possit esse, aut sermo communis. Nisi quod nos gratiam referre Stephano in isto possumus: quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei, & sapientiæ vestræ experimentum caperemus. Sed non, si nos propter Stephanum hanc beneficii gratiam cœpimus, statim Stephanus bene-

 ficio,

ficio, & gratia digna commisit. Neque enim & Judas perfidia sua, & proditione, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest, quasi caussam bonorum tantorum ipse praestiterit, ut per illum mundus, & gentium populus liberaretur. Sed haec interim quae ab Stephano gesta sunt, praetereantur, nedum audaciae & insolentiae ejus meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem maestitiam nobis inferamus. De vobis autem cognoscentes, quod secundum regulam veritatis, & sapientiam Christi, hoc de quo nunc quaeritur disposueritis? cum magna laetitia exultavimus, & Deo gratias egimus, quia invenimus in fratribus tam longe positis tantam nobiscum fidei, & veritatis unanimitatem. Potens est enim gratia Dei copulare, & conjungere caritatis, atque unitatis vinculo, etiam ea, quae videntur longiore terrarum spacio esse divisa. Secundum quod & olim intervallo temporum separatos ab Job & Noe qui in primis fuerant, Ezechielem, & Danielem, posteriores aetate ad unanimitatis vinculum virtus divina conjunxit; ut quamvis temporibus longis discreti essent, eadem tamen divina inspiratione sentirent. Quod & nunc in vobis animadvertimus, ut qui longissimis regionibus a nobis separati estis, sensu tamen, & spiritu copulatos vos esse nobiscum probaretis. Quod totum hoc fit divina unitate. Nam cum Dominus unus atque idem sit qui habitat in nobis, conjungit ubique, & copulat suos vinculo unitatis. Unde in universam terram exivit sonus eorum,

qui

qui a Domino missi sunt unitatis spiritu velociter currentes. Sicut e contrario nihil prodest, aliquos proximos & junctos sibi esse corporibus, si animo, & mente dissideant; quando adunari animæ omnino non possint, quæ se a Dei unitate diviserint: Ecce enim, inquit, qui longinquant se abs te, peribunt: sed tales judicium Domini pro merito suo subibunt, recedentes a verbis ejus qui Patrem pro unitate deprecatur, & dicit: Pater da ut quomodo ego & Tu unum sumus, sic & hi in nobis unum sint, Nos vero ea, quæ a vobis scripta sunt, quasi nostra propria suscipimus, nec in transcursu legimus, sed sæpe repetita memoriæ mandavimus: neque obest utilitati salutari aut eadem retexere ad confirmandam veritatem, aut & quædam addere ad cumulandam probationem. Si quid autem a nobis additum fuerit, non sic additur, quasi a vobis aliquid minus dictum sit; sed quoniam sermo divinus humanam naturam supergreditur, nec potest totum, & perfectum anima concipere. Iccirco & tantus est numerus prophetarum, ut multiplex divina sapientia per multos distribuatur. Unde & tacere præcipitur, primo in prophetia loquenti, si secundo fuerit revelatum. Qua ex causa necessario apud nos fit, ut per singulos annos seniores, & præpositi in unum conveniamus ad disponenda ea, quæ curæ nostræ commissa sunt: Ut si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur; lapsis quoque fratribus, & post lavacrum salutare a diabolo vulneratis per pœnitentiam medela quæratur; non quasi a nobis remissionem pec-

catorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur, & Domino plenius satisfacere cogantur. Quoniam vero legatus iste a vobis missus regredi ad vos festinabat, & hibernum tempus urgebat; quantum potuimus ad scripta vestra rescripsimus. Et quidem quantum ad id pertineat quod Stephanus dixit, quasi Apostolicos, qui ab hæresi veniant baptizari prohibuerint, & hoc custodiendum posteris tradiderint, plenissime vos respondistis: neminem tam stultum esse qui hoc credat Apostolos tradidisse, quando etiam ipsas hæreses constet execrabiles, ac detestandas postea extitisse. Cum & Marcion Cerdonis discipulus inveniatur sero post Apostolos, & post longa ab eis tempora, sacrilegam adversus Deum traditionem induxisse. Apelles quoque blasphemiæ ejus consentiens, multa alia nova, & graviora fidei, ac veritati inimica addiderit. Sed & Valentini, & Basilidis tempus manifestum est, quod & ipsi post Apostolos, & post longam ætatem, adversus Ecclesiam Dei sceleratis mendaciis suis rebellaverint. Cæteros quoque hæreticos constat pravas suas sectas, & inventiones perversas, prout quisque errore ductus est, postea induxisse; quos omnes manifestum est a semetipsis damnatas esse, & ante diem judicii inexcusabilem sententiam adversus semetipsos dixisse: quorum baptisma qui confirmat, quid aliud quam cum ipsis se adjudicat, & se ipse participem talibus faciendo condemnat? Eos autem qui Romæ sunt non ea in omnibus observare quæ sint ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætende-

dere: ſcire quis etiam inde poteſt, quod circa celebrandos dies paſchæ, & circa multa alia divinæ rei ſacramenta, videat eſſe apud illas aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur. Secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis, multa pro locorum, & hominum diverſitate variantur; nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando diceſſum eſt. Quod nunc Stephanus auſus eſt facere, rumpens adverſum vos pacem, quam ſemper anteceſſores ejus vobiſcum amore, & honore mutuo cuſtodierunt: adhuc etiam infamans Petrum, & Paullum beatos Apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint; qui in epiſtolis ſuis hæreticos execrati ſunt, & ut eos evitemus, monuerunt. Unde apparet traditionem hanc humanam eſſe, quæ hæreticos aſſerit, & baptiſma quod non niſi ſolius Eccleſiæ eſt, eos habere defendit. Sed & ad illam partem bene a vobis reſponſum eſt, ubi Stephanus in epiſtola ſua dixit [*Hæreticos quoque ipſos in Baptiſmo convenire, & quod ad alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum*] quaſi & nos hoc facere debeamus. Quo in loco, & ſi vos jam probaſtis: ſatis ridiculum eſſe, ut quis ſequatur errantes, illud tamen ex abundanti addimus: non eſſe mirum ſi ſic hæretici agant, qui, & ſi in quibuſdam minoribus diſcrepant, in eo tamen quod eſt maximum, unum & eundem conſenſum tenent, ut blaſphement creatorem, quædam ſomnia ſibi, & phantaſmata ignoti Dei confingentes: quos utique conſequens eſt, ſic conſentire in baptiſ-

mi

mi ſui vanitate, ut conſentiunt in repudianda divinitatis veritate. De quibus quoniam longum eſt ad ſingula eorum vel ſceleſta, vel ſupervacua reſpondere; ſatis eſt breviter illud in compendio dicere, eos qui non teneant verum Dominum Patrem, tenere non poſſe, nec Filii, nec Spiritus Sancti veritatem. Secundum etiam illi qui καταφρυγας appellantur, & novas prophetias uſurpare conantur, nec Patrem poſſunt habere, nec Filium, nec Spiritum Sanctum; a quibus ſi quæramus: quem Chriſtum prædicent, reſpondebunt: eum ſe prædicare qui miſerit Spiritum, per Montanum, & Priſcam locutum. In quibus cum animadvertamus non veritatis Spiritum, ſed erroris fuiſſe; cognoſcimus:eos qui falſam illorum prophetiam contra Chriſti fidem vindicant, Chriſtum habere non poſſe. Sed & ceteri quique hæretici, ſi ſe ab Eccleſia Dei ſciderint, nihil habere poteſtatis, aut gratiæ poſſunt; quando omnis poteſtas, & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem. Hæretico enim ſicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare, nec quicquam ſancte, nec ſpiritaliter gerere, quando alienus ſit a ſpiritali & deifica Sanctitate. Quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in unum,convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & cæteris proximis regionibus confirmavimus, tenendum contra hæreticos firmiter, & vindicandum; cum a quibuſdam de iſta re dubi-

tare-

taretur. Et quoniam Stephanus & qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum, & secundam nativitatem in hæreticorum baptisma posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum Sanctum non esse; considerent, & intelligant, spiritalem nativitatem sine spiritu esse non posse: secundum quod & beatus Paullus Apostolus, eos qui ab Joanne baptizati fuerant, priusquam missus esset a Domino Spiritus Sanctus, baptizavit denuo spiritali baptismo, & sic eis manum imposuit, ut acciperent Spiritum Sanctum. Quale est autem, ut cum Paullum post Johannis baptisma iterato discipulos suos baptizasse videamus; nos eos qui ab hæresi ad Ecclesiam veniunt, post inlicitam, & prophanam eorum tinctionem baptizare dubitemus? Nisi si his Episcopis, de quibus nunc, minor fuit Paulus; ut hi quidem possint per solam manus impositionem venientibus hæreticis dare Spiritum Sanctum. Paullus autem idoneus non fuerit, qui ab Johanne baptizatis Spiritum Sanctum per manus impositionem daret, nisi eos prius etiam Ecclesiæ baptismo baptizasset. Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus Sancti. Deinde hæc erit sapientia quam scribit Paullus esse in his qui perfecti sunt. At quis est in Ecclesia perfectus & sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quod invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum,

& baptiſmi ſanctificationem! cum hæc tunc utique proficiant, quando & qui baptizat habet Spiritum Sanctum, & baptiſma quoque ipſum non ſit ſine Spiritu conſtitutum. Sed dicunt, eum qui quomodocunque foris baptizatur, mente, & fide ſua, baptiſmi gratiam conſequi poſſe: quod & ipſum ſine dubio ridiculum eſt, quaſi de cælo adducere ad ſe poſſit, aut mens prava juſtorum ſanctificationem, aut fides falſa credentium veritatem. Non omnes autem qui nomen Chriſti invocant, audiri, & invocationem ſuam conſequi aliquid gratiæ poſſe, Dominus ipſe manifeſtat dicens: Multi venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Nulla quippe differentia eſt inter pſeudo, prophetam, & hæreticum. Nam ut ille in nomine Dei, aut Chriſti, ita iſte in Sacramento baptiſmi fallit. Mendacio uterque nititur, ad decipiendas hominum voluntates. Volo autem vobis & de hiſtoria quæ apud nos facta eſt, exponere ad hoc ipſum pertinente. Ante viginti enim & duos fere annos, temporibus poſt Alexandrum Imperatorem, multæ iſtic conflictationes, & preſſuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Chriſtianis; terræ etiam motus plurimi, & frequentes extiterunt, ut per Cappadociam, & per Pontum multa ſubruerent, quædam etiam civitates in profundum receptæ dirupti ſoli hiatu devorarentur, ut ex hoc perſecutio quoque gravis adverſum nos Chriſtiani nominis fieret. Quæ poſt longam retro ætatis pacem repente oborta, de inopinato & inſueto malo ad tur-

turbandum populum nostrum terribilior effecta est. Serenianus tunc fuit in nostra provincia Præses, acerbus & dirus persecutor. In hac autem perturbatione constitutis fidelibus, & huc atque illuc persecutionis metu fugientibus, & patrias suas relinquentibus, atque in alias partes regionum transeuntibus (erat enim transeundi facultas, eo quod persecutio illa, non per totum mundum, sed localis fuisset) emersit istic subito quædam mulier, quæ in extasi constituta, prophetem se præferret, & quasi Sancto Spiritu plena sic ageret. Ita autem principalium dæmoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus sollicitaret, & deciperet fraternitatem, ac mirabilia quædam, & portentosa perficiens, & facere se terram moveri polliceretur. Non quod dæmoni tanta esset potestas, ut terram movere, aut elementum jussu valeret; sed quod nonnunquam Spiritus nequam præsciens, & intelligens terræ motum futurum, id se facturum esse simularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis, & jactationibus subegerat mentes singulorum, ut sibi obedirent, & quocunque preciperet, & duceret sequerentur: faceret quoque mulierem illam cruda hyeme nudis pedibus per asperas nives ire, nec vexari in aliquo, aut lædi illa discursione: diceret etiam se in Judæam, & Hierosolymam festinare fingens tanquam inde venisset. Hic & unum de præsbyteris Rusticum; item & alium Diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiscerentur, quod paullo post detectum est. Nam subito apparuit

illis unus de exorcistis vir probatus, & circa religiosam disciplinam bene semper conversatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui & ipsi fortes, ác laudabiles in fide aderant excitatus, erexit se contra illum spiritum nequam revincendum: qui subtili fallacia etiam hoc Paullo ante prædixerat, venturum quendam aversum, & tentatorem infidelem. Tamen ille exorcista inspiratus Dei gratia fortiter restitit, & esse illum nequissimum Spiritum, qui prius Sanctus putabatur ostendit. Atqui illa mulier; quæ prius per præstigiàs, & fallacias dæmonis, multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cetera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est; ut & invocatione non contemptibili sanctificare se panem, & eucharistiam facere simularet, & sacrificium Domino sine Sacramento solitæ prædicationis offerret; baptizaret quoque multos usitata, & legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de hujus baptismo dicemus, quo nequissimus dæmon per mulierem baptizavit? Nunquid & hoc Stephanus, & qui illi consentiunt comprobant? maxime cui nec Symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima, & Ecclesiastica defuit? Potest credi aut remissio peccatorum data, aut lavacri salutaris regeneratio rite perfecta, ubi omnia quamvis ad imaginem veritatis tamen per dœmonem gesta sunt? Nisi si & dœmonem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti gratiam baptismi dedisse contendunt,

qui

qui hæreticorum baptiſma defendunt. Apud quos ſine dubio idem error eſt, dæmonum fallacia ipſa eſt; quando apud illos omnino Spiritus Sanctus non eſt. Illud etiam quale eſt; quod vult Stephanus, his qui apud hæreticos baptizantur, adeſſe præſentiam, & Sanctimoniam Chriſti? Nam ſi non mentitur Apoſtolus dicens. Quotquot in Chriſto tincti eſtis, Chriſtum induiſtis: utiqne qui illic in Chriſto baptizatus eſt, induit Chriſtum: ſi autem induit Chriſtum, accipere potuit & Spiritum Sanctum, qui a Chriſto miſſus eſt, & fruſtra illi venienti ad accipiendum Spiritum manus imponitur: niſi ſi a Chriſto Spiritum induit, ut apud hæreticos ſit quidem Chriſtus, non ſit autem illic Spiritus Sanctus. Decurramus vero breviter, & cetera, quæ a vobis copioſe, & pleniſſime dicta ſunt, feſtinante vel maxime ad vos Rogatiano Diacono chariſſimo noſtro. Sequitur enim illud, quod interrogandi ſunt a nobis qui hæreticos defendunt, utrum carnale ſit eorum baptiſma, an Spirituale. Si enim carnale eſt, nihil differunt a Judæorum Baptiſmo, quo ſic illi utuntur, ut eo tanquam communi, & vulgari lavacro tantum ſordes laventur. Sin autem Spiritale eſt: quomodo apud illos eſſe baptiſma Spiritale poteſt, apud quos Spiritus Sanctus non eſt? Ac per hoc aqua qua tinguntur, lavacrum eſt illis carnale tantum, non baptiſmi Sacramentum. Quod ſi baptiſma hæreticorum habere poteſt regenerationem ſecundæ nativitatis; non hæretici, ſed Filii Dei computandi ſunt, qui apud illos baptizan-

tur. Secunda enim nativitas, quæ est in baptismo, Filios Dei generat. Si autem sponsa Christi una est, quæ est Ecclesia Catholica; ipsa est quæ sola generat Dei filios. Neque enim multæ sponsæ Christi; cum dicat Apostolus: Despondi vos uni viro virginem castam assignare Christo, &: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populi tui: quia desideravit rex speciem tuam, & Veni sponsa de Libano, advenies, & pertransibis a principio fidei, &: Ingressus sum in hortum meum soror mea, sponsa: videmus unam personam ubique proponi, quia & sponsa est una. Non est autem una nobiscum hæreticorum synagoga, quia nec sponsa est adultera & fornicaria; unde nec potest filios Dei parere. Nisi si secundum quod Stephano videtur, hæresis quidem parit, & exponit: expositos autem Ecclesia suscipit: & quos non ipsa pepererit pro suis nutrit, cum filiorum alienorum mater esse non possit. Et ideo Christus Dominus noster unam esse manifestans sponsam suam, & unitatis ejus Sacramentum declarans, ait: Qui non est mecum, adversus me est, & qui non mecum colligit, spargit. Si enim nobiscum est Christus, hæretici autem non sunt nobiscum; pro certo adversus Christum sunt hæretici. Et si non colligimus cum Christo, non colligunt autem nobiscum hæretici, sine dubio spargunt. Sed nec illud prætereundum est a nobis, quod a vobis necessario dictum est, quod Ecclesia secundum Canticum Canticorum, hortus sit conclusus, & fons signa-

tus,

tus, paradisus cum fructu pomorum. Qui autem nunquam in hunc hortum introjerunt, neque paradisum a Deo plantatum viderunt, quo modo de fonte qui intus inclusus est, & divino sigillo signatus est, aquam vivam lavacri salutaris præbere alicui poterunt? Cum vero & archa Noe nihil aliud fuerit quam Sacramentum Ecclesiæ Christi, quæ tunc omnibus foris pereuntibus eos solos servavit, qui intra archam fuerunt; manifeste instruimur ad Ecclesiæ unitatem perspiciendam, quemadmodum & Apostolus Petrus posuit dicens: Sic & vos similiter salvos faciet baptisma, ostendens, quoniam quomodo qui cum Noe in archa non fuerunt, non tantum purgati & salvati per aquam non sunt, sed statim diluvio illo perierunt: sic & nunc quicunque in Ecclesia cum Christo non sunt, foris peribunt, nisi ad unicum & salutare Ecclesiæ lavacrum per pœnitentiam convertantur. Qualis vero error sit, & quanta sit cœcitas ejus, qui remissionem peccatorum dicit apud Synagogas hæreticorum dari posse, nec permanet in fundamento unius Ecclesiæ, quæ semel a Christo supra petram solidata est; hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit. Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis: & iterum in Evangelio quando in solos Apostolos insufflavit Christus dicens: Accipite Spiritum Sanctum: si cujus remiseritis peccata remittentur illi: & si cujus tenueritis, tenebuntur. Potestas ergo peccatorum remittendo-

dorum Apostolis data est, & Ecclesiis quas illi a Christo missi constituerunt, & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt. Hostes autem unius Catholicæ Ecclesiæ in qua nos sumus, & adversarii nostri qui Apostolis successimus, sacerdotia sibi illicita contra nos vindicantes, & altaria prophana ponentes; quid aliud sunt, quam Chore, & Dathan, & Abiron, pari scelere sacrilegi, & easdem quas & illi pœnas daturi cum his qui sibi consentiunt; secundum quod etiam tunc illorum participes, & fautores pariter, cum eis perierunt. Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam, & manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat, & Ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. Nam qui baptizantur, complent sine dubio Ecclesiæ numerum. Qui autem baptisma eorum probat de baptizatis, & Ecclesiam illic esse confirmat. Nec intelligit obfuscari a se, & quodammodo aboleri Christianæ petræ veritatem, qui sic prodit, & deserit unitatem. Judæos tamen quamvis ignorantia cæcos, & gravissimo facinore constrictos, zelum Dei Apostolus habere profitetur; Stephanus qui per successionem cathedram Petri habere se predicat, nullo adversus hæreticos zelo excitatur: concedens illis non modicam sed maximam gratiæ potestatem, ut dicat eos &

asseveret per baptismi Sacramentum sordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare, regeneratione cœlesti filios Dei facere, ad æternam vitam divini lavacri sanctificatione reparare. Qui sic magna, & cœlestia Ecclesiæ munera hæreticis concedit, & tribuit; quid aliud quam communicat eis, quibus tantum gratiæ defendit, ac vindicat? Et frustra jam dubitat in ceteris quoque consentire eis, & particeps esse, ut & simul cum eis conveniat, & orationes pariter cum eisdem misceat, & altare, ac sacrificium commune constituat. Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi ad fidem, & baptismi sanctificationem, ut quicunque, & ubicunque in nomine Christi baptizatus fuerit consequatur statim gratiam Christi; quando huic loco breviter occurri possit, & dici, quoniam si in nomine Christi valuit foris baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit, & manus impositio ad accipiendum Spiritum Sanctum. Et incipient cetera quoque quæ apud hæreticos aguntur, justa, & legitima videri, quando in nomine Christi gerantur; secundum quod vos in Epistola vestra exsecuti estis: non nisi in Ecclesia sola valere posse nomen Christi, cui uni concesserit Christus cœlestis gratiæ potestatem. Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati; quis tam vanus sit ut veritati consuetudinem præferat? aut qui perspecta luce tenebras non derelinquat? Nisi si, & Judæos Christo adventante, id est, veri-

tate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo; quod relicta nova veritatis via in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate errorem vos reliquisse. Ceterum nos veritati, & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum, consuetudinem, sed veritatis opponimus; ab initio hoc tenentes, quod a Christo, & ab Apostolo traditum est. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus, & sanctum baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus. Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant, qui etsi novos prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem, & Filium nosse nobiscum videntur; plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractavimus, & confirmavimus repudiandum esse omne omnino baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum. Ad Illud autem quod pro hæreticis ponunt, & ajunt Apostolum dixisse. Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, ut respondeamus, ineptum est; quando manifestum sit, Apostolum in Epistola sua qua hoc dixit, neque hæreticorum, neqne baptismi eorum mentionem fecisse, sed locutum esse de fratribus tantum, sive perfide secum loquentibus, sive in fide sincera perseverantibus: nec oporteat hoc longo tractatu excutere, sed ipsam satis sit Epistolam legere, & quid Apostolus dixerit, de ipso Apostolo recognoscere. Quid ergo inquiunt, fiet de his qui ab hæ-

re-

reticis venientes sine Ecclesiæ baptismo admissi sunt? Si de sæculo excesserunt, in eorum numero qui apud nos catechisati quidem sunt, sed priusquam baptizarentur obierunt, habentur. Non modo dicunt emolumentum veritatis, & fidei, ad quam relicto errore pervenerant, & si consummationem gratiæ consecuti non sunt, morte præventi. Qui autem adhuc in sæculo permanent, baptizentur Ecclesiæ baptismo, ut remissionem peccatorum consequi possint; ne per alienam præsumptionem in pristino errore manentes, sine gratiæ consummatione moriantur. Ceterum quale delictum est, vel illorum qui admittuntur, vel illorum qui admittunt; ut non ablutis per Ecclesiæ lavacrum sordibus, nec peccatis expositis, usurpata temere communicatione contingant Corpus, & Sanginem Domini: cum scriptum sit; quicunque ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini? Nos etiam illos quos hi qui prius in Ecclesia Catholica Episcopi fuerant, & post modum sibi potestatem clericæ ordinationis assumentes baptizaverant, pro non baptizatis habendos judicavimus. Et hoc apud nos observatur, ut quicunque ab illis tincti ad nos veniunt, tanquam alieni, & nihil consecuti, unico, & vero Ecclesiæ Catholicæ baptismo apud nos baptizentur, & lavacri vitalis regenerationem consequantur. Et tamen multum interest inter eum, qui invitus, & necessitate persecutionis coactus succubuit, & illum qui sacrilega voluntate audax contra Ecclesiam rebellat, vel in patrem, & Deum

Christi, & totius mundi conditorem impia voce blasphemat. Et non pudet Stephanum hoc asserere, ut per eos qui ipsi in omnibus peccatis sunt constituti, dicat posse remissionem peccatorum dari? Quasi possit esse in domo mortis lavacrum salutis. Ubi ergo erit quod scriptum est: Ab aqua aliena abstine te, & a fonte alieno ne biberis? Si relicto Ecclesiæ fonte signato, alienam aquam pro tua suscipis, & prophanis fontibus Ecclesiam polluis? Quando enim baptismo hæreticorum communicas; quid aliud qnam de voragine, & cœno illorum bibis, & ipse Ecclesiæ sanctificatione purgatus, alienarum sordium contactibus inquinaris? Nec metuis judicium Dei, hæreticis testimonium contra Ecclesiam perhibens, cum scriptum sit: Falsus testis, non erit impunitus. Quinimmo tu hæreticis omnibus pejor es. Nam cum inde multi cognito errore suo ad te veniant, ut Ecclesiæ verum lumen accipiant; tu venientium errores adjuvas, & obscurato lumine Ecclesiasticæ veritatis, tenebras hæreticæ noctis accumulas. Cumque se illi in peccatis esse, & nil gratiæ habere se, ac propterea ad Ecclesiam venire fateantur; tu eis remissionem peccatorum subtrahis quæ in baptismo datur, dum dicis, eos jam baptizatos, & extra Ecclesiam, Ecclesiæ gratiam consecutos. Nec intelligis animas eorum de manu tua exquiri, cum judicii dies advenerit; qui sitientibus Ecclesiæ potum negasti: & volentibus vivere, caussa mortis fuisti. Et insuper indignaris. Vide qua imperitia repre-


hen-

hendere audeas eos, qui contra mendacium pro veritate nituntur: Quis enim justius indignari contra alterum debuit? Utrumne qui hostes Dei asserit, an vero qui adversus eum qui hostes Dei asserit, pro Ecclesiæ veritate consentit? Nisi quod imperitos etiam animosos atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii, & sermonis ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis quam de te dicat scriptura divina; Homo animosus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim, & dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti? Excidisti enim te ipsum: noli te fallere. Siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abstinere posse; solum te ab omnibus abstinuisti. Nec te informare ad regulam veritatis, & pacis vel Apostoli præcepta potuerunt, monentis, & dicentis; Obsecro ergo vos ego vinctus in Domino digne ambulare vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate sensus, & lenitate, cum patientia, sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem Spiritus in conjunctione pacis. Unum Corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus dominus, una fides, unum baptisma: unus Deus, & pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Hæc Apostoli mandata, & monita salutaria, quam diligenter. Ste-

phanus implevit, humilitatem sensus primo in loco servans? Quid enim humilius aut lenius quam cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum orientalibus (quod nec vos latere confidimus) modo vobiscum, qui in meridie estis? A quibus legatos Episcopos patienter satis, & leniter suscepit; ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret: adhuc insuper dilectionis, & caritatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet; ut venientibus non solum pax, & communio, sed & tectum, & hospitium negaretur. Hoc est servasse unitatem Spiritus in conjunctione pacis, abscindere se a charitatis unitate, & alienum se per omnia fratribus facere, & contra Sacramentum, & fidem, contumacis furore discordiæ rebellare. Apud talem potest esse unum corpus, & unus Spiritus, apud quem fortasse ipsa anima una non est, sic lubrica, & mobilis, & incerta. Sed quantum ad illum pertinet, relinquamus: excutiamus potius id, de quo maxima quæstio est. Qui contendunt ab hæreticis baptizatos sic recipi oportere, tanquam legitimi baptismi gratiam consecutos; unum nobis atque illis baptisma dicunt esse, & in nullo discrepare. Sed quid ait Apostolus Paulus? Unus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Si unum atque idem est cum nostro baptisma hæreticorum; sine dubio, & fides una est: si autem fides una est utique, & Dominus unus: si Domi-

mi-

minus unus eſt, conſequens eſt dicere, quia unus eſt. Si autem hæc unitas, quæ ſeparari omnino, & dividi non poteſt, etiam apud hæreticos ipſa eſt; quid ultra contendimus? Ut quid illos hæreticos, & non Chriſtianos vocamus? Porro cum nobis, & hæreticis nec Deus unus ſit, nec Dominus unus, nec una Eccleſia, nec fides una, ſed nec unus Spiritus, nec corpus unum; manifeſtum eſt, nec baptiſma nobis, & hæreticis commune eſſe poſſe, quibus nihil eſt omnino commune. Et tamen non pudet, Stephanum talibus adverſus Eccleſiam patrocinium præſtare, & propter hæreticos aſſerendos, fraternitatem ſcindere: inſuper, & Cyprianum, pſeudo-Chriſtum, & pſeudo-Apoſtolum, & doloſum operarium dicere? Qui omnia in ſe eſſe conſcius prævenit; ut alteri ea per mendacium adjiceret, quæ ipſe ex merito audire deberet. Bene te valere omnibus nobis, cum univerſis qui in Africa ſunt Epiſcopis, & cunctis Clericis, & omni fraternitate univerſi optamus; ut perpetuo unanimes, & unum ſentientes, habeamus nobiſcum etiam de longinquo adunatos.



NO-

NOTÆ

IN HANC EPISTOLAM CRITICÆ.

I.

EPIST. *Nisi quod gratiam referre Stephano possumus, quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei, & sapientiæ vestræ experimentum caperemus.*

Nos quoque gratiam hujus Epistolæ Auctori referre possumus, quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei, sapientiæ, & patientiæ tum Cypriani, tum Firmiliani, de quibus tanta olim erat dubitandi occasio, experimentum caperemus ex tot mendaciorum detectione. Bone Deus, quæ hæc est Episcopi Catholici, & Sanctitate percelebris præfatio, ut quum primum Stephanum nominare contingit, *inhumanum* vocet? Uno verbo acrius in Stephanum, quam in Serenianum Cappadociæ, & Ponti Præsidem, de quo infra nota XVI. invectus est, quem utpote christianæ fidei persecutorem vocat *acerbum*, *& dirum*. At Stephanum inhumanum dixit, quod sane idem fuit ac dixisse omnis humanitatis expertem, certe quiddam amplius, quam *acerbum*, *& dirum*. Mirum quantum

tum Rigaltius, & Fellus hoc loco abutantur, & quam temere torqueant in Stephanum, quem vere inhumanum fuisse contendunt, secus Firmilianum æquanimem, & quidem fuit; non fuisset vero, si ita scripsisset.

II.

Neque enim, & Judas perfidia sua, & proditione, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest, quasi caussam bonorum tantorum ipse præstiterit, ut per illum Mundus, & gentium populus liberaretur.

Proh superum, atque hominum fidem! usque adeo ne debacchatur, ut Stephanus in Petri Cathedra Successor, fidei satis probatæ, Christianæ Religionis studiosissimus, cum Juda Christi proditore conferatur? Quæ item comparatio compertæ fidei, & sapientiæ Africanorum Antistitum cum Mundi redemptione? Annon est ex furfure Donatiano? En Augustinus lib. 2. Cont. lit. Petil. cap. 8. *Invidiosissimis verbis, velut captiosus inventor, Judæ nos proditori comparasti.*

III.

Secundum quod, & olim intervallo temporis separatos ab Job, & Noe, qui in primis fuerant Ezechielem, & Danielem posteriores ætate ad unanimitatis vinculum virtus divina conjunxit.

Ad Rem Pamelius. *Qua in re idem senserint Noe, & Daniel non potui invenire. Job autem,*

tem, & Ezechiel de resurrectione carnis idem prophetarunt, ille cap. 10. hic vero 37.

IV.

Nos vero ea, quæ a vobis scripta sunt, quasi nostra propria suscipimus, nec in transcursu legimus, sed sæpe repetita memoriæ mandavimus.

Si non in transcursu legit Cypriani literas, si sæpius lectionem repetiit, si memoriæ mandavit, quomodo subtexuit? *Quoniam vero Legatus iste a vobis missus regredi ad vos festinabat, & hibernum tempus urgebat, quantum potuimus ad scripta vestra, rescripsimus*. Nisi tantum temporis ei vacabat, ut commode ad Cyprianum rescribere posset, cur non distulit a Cypriano scripta memoriæ mandare post Rogatiani discessum? Ea siquidem utpote latina, nec tam cito, nec tam facile memoriter addisci potuerunt ab homine græco, sene præsertim; proinde nonnihil temporis in eo insumendum fuit, qui labor si non plane irritus, certe non necessarius.

V.

Neque obest utilitati salutari aut eadem retexere ad confirmandam veritatem, aut & quædam addere ad cumulandam probationem.

Neque obest, neque prodest eadem argumenta, quæ quis ad te miserit, illi remittere. *Labor irritus, & nullus effectus*, inquit Cyprianus

nus ad Demetrianum. Quædam vero addere ad cumulandam probationem, quæ minora sint, vel æqualia, nec probare possum, nec improbare ausim.

VI.

Quoniam vero Legatus iste a vobis missus, regredi ad vos festinabat, & bibernum tempus urgebat, quantum potuimus ad scripta vestra rescripsimus.

Quid si Legatus non festinasset? quid si hibernum tempus non urgeret? Quid si quantum vellet rescribere potuisset? Profecto haberemus egregium Luciani imitatorem. Quis dubitet ita factum fuisset? Partiatur Lector Epistolam in duas partes, in altera inanem deprehendet argumentorum Cypriani repetitionem: in altera reprehensionem, ut si qua alia, in Stephanum amarulentissimam.

VII.

Et quidem quantum ad id pertineat, quod Stephanus dixit, quasi Apostoli eos, qui ab bæresi veniunt baptizari probibuerint, & boc custodiendum posteris tradiderint, plenissime vos respondistis, neminem tam stultum esse, qui boc credat Apostolos tradidisse, quando etiam ipsas bæreses constet execrabiles, ac detestandas postea extitisse.

Nec plene, nec bene, si ita responsum sit, quod quidem non est eruditissimo Cypriano

no affingendum. Nemo enim tam imperitus est, qui ignoret Apostolorum tempore Simonem Magum, ejusque discipulos Menandrum, Saturninum, & Basilidem extitisse, de quibus Irenæus lib. pr. cap. 20. Nemo item tam stolidus, qui diffiteatur potuisse ab his Ethnicos, aut Judæos baptizari, quibus Spiritus Sanctus pretio promittebatur. Quanquam ab his baptizatos rebaptizandos fuisse existimo, quod baptismi forma, tametsi cum invocatione Trinitatis, nulla videretur; propterea quod Simon Magus sese totam Trinitatem locis, ac temporibus diversis, esse predicaret. Erant & Nicolaitæ, de quibus Apoc. cap. 2. Erant Phigellus, & Hermogenes, quos meminit Apostolus 2. ad Timot. cap. 1. Erant Hymenæus, & Philetus ib. 2. Erat & Alexander ib. 4. Erant Cherintus, & Ebion, de quibus Irenæus lib. pr. cap. 23. & 26. & lib. 3. cap. 3. contra quos perhibetur Johannes Evangelium suum scripsisse. Qui omnes, qui mos est Hæreticorum, vecordes, suarumque partium propagatores, quis dubitet, quin plurimos in illorum sectam concedentes, baptizarent? quæ tamen Apostolis inscientibus facta fuisse non est verisimile. Quapropter si ab Apostolis hanc traditionem profectam Stephanus cum Romanis affirmabat, non utique insipiebat, ut petulanter satis innuit Epistolæ locus. Annon hæreses istæ exsecrabiles sunt, ac detestandæ? Fateor me nullo pacto percipere potuisse, quo consilio hujus Epistolæ Auctori hæc verba tanta cum licentia exciderint. Miror tamen, Pamelium meo quidem

ju-

judicio adnotatorem omnium accuratissimum, tam supinum errorem non animadvertisse. Contra, sum plane stomachatus, Rigaltium nil prætermittere, quo hujus Epistolæ sententias indeteriorem partem utcumque potest, invertat; veluti hanc, de qua agimus, ad traditionem debilitandam clanculum detorquet.

VIII.

Cum & Marcion Cerdonis Discipulus inveniatur sero post Apostolos, & post longa ab eis tempora sacrilegam adversus Deum traditionem induxisse. Appelles quoque blasphemiæ ejus consentiens multa alia nova, & graviora fidei, ac veritati inimica addiderit. Sed & Valentini, & Basilidis tempus manifestum est, quod & ipsi post Apostolos, & post longam ætatem, adversus Ecclesiam Dei sceleratis mendaciis suis rebellaverint. Ceteros quoque hæreticos constat, pravas suas Sectas, & inventiones perversas, prout quisque errore ductus est, postea induxisse.

Quorsum hæc tanta eruditio cum tanta novi testamenti ignoratione? Qui negant ignoratum, dicant cur prætermissum. Ex animo iterum fateor, me diu multumque vestigasse, cur Apostoli, qui hujus Scriptoris judicio suorum temporum hæresibus baptismum concesserunt, posterioribus vetassent, nec introspicere potuisse.

Quod ad Basilidem spectat, quem post longam

ætatem ab Apostolorum tempore vixisse tradit; merito Baronius Auctorem hunc mendacii insimulat. Basilidem quippe Ignatii testimonio epist. 5. ad Tral., & epist. 10. ad Smyrnen. constat eodem cum Apostolis tempore vixisse.

IX.

Eos autem, qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sint ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies Paschæ, & circa alia multa divinæ rei Sacramenta, videant esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur.

Vere frustra hic Auctor prætendit Romæ non observari, quæ sint ab origine tradita, scribente ante ipsum Irenæo. *In qua semper conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio*. Et ante hoc ipsum jurgium Clerus Romanus ab Cypriano consultus ita respondit. *Sed antiqua fides disciplina legitur antiqua, quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo: Quia fides vestra prædicatur in toto Mundo, nisi jam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset, quarum laudum, & gloriæ degenerem fuisse maximum crimen est*. Sed neque tum, neque antea, neque post, neque tandem in posterum degeneres deprehensi sunt, aut deprehendentur ob severitatem

di-

disciplinæ. *Quid enim*, antedixerat, *aut in pace tam aptum, aut in bello persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem divini rigoris tenere?* Exemplum de Paschæ celebratione, quod subdit, detrahit fidei, & sapientiæ Firmiliani, probat namque, ne dicam præfert Romano mori hæresim Quartadecimanorum jampridem ante Nicænum Concilium a duobus Romanis, ab uno Gallo, a quatuor Orientalibus damnatam; unico dempto Asiatico Concilio, seu verius Ephesino secundum Baluzium per Episcopum Polycratem coacto. Verum, quid dixi a quatuor? *fere ab infinitis*, teste Eusebio lib. 1. cap. 22. ubi agens de Conciliis pro recta Paschæ celebratione convocatis hæc scripsit. *Aliud porro Ecclesiarum* [subde Concilium] *Osthoenum, & reliquas in eo loco civitates incolebant. Aliud separatim Bacchilli Ecclesiæ Corinthiorum Episcopi, & alia denique aliorum prope infinitorum, qui uno consensu, judicioque uno eandem de illius Festi observatione tulere sententiam.* Nil etiam huic Artifici suffragatur, quominus vel erroris, vel mendacii insimuletur, quod tempore Firmiliani Paschaitarum error non fuisset plenario Ecclesiæ judicio proscriptus, quandoquidem quod fuerit postmodum a I. Nicæna, & celeberrima Synodo damnatus, magno est argumento jam tum disputatione de anabaptismo æstuante, per totum Orientem repudiatum fuisse morem illum celebrandi Pascha quartadecima Luna mensis primi.

Quod aperte designatur in epistola Constantini

Ma-

Magni ad Ecclesias, de iis, quæ in Concilio Niceno gesta erant ex Euseb. lib. 3. cap. 16. 17. 18., in qua hæc quarto loco adducitur ratio. Consensio omnium Ecclesiarum. *Ipse etiam* [scribit.] *in me recepi vestram sapientiam facile assensuram, & quod in Urbe Roma, in Italia, in tota Africa, in Ægypto, Hispania, Gallia, & Britannia, in Lybia, & universa Græcia, in Diœcesi Asiatica, & Pontica, in Cilicia denique una, & consentiente sententia conservatur, hoc a Vobis quoque lubentibus animis approbaretur.*

Nemo unus Græcorum Patrum id ausus est affirmare, paschalem Hierosolymorum ritum alium fuisse, atque Romanorum, ne Polycrates quidem ipse in Asiatica illa Synodo, tametsi obtruderet Hieropolitanæ, & Ephesinæ Ecclesiæ morem SS. Philippi, & Johannis Apostolorum institutis conformatum. Quin Narcisus Hierosolymorum Episcopus in Synodo Hierosolymitana. *Super mystico Pascha secundum S. Anicetum, & Victorem pronunciavit*, ex libello Synodico. Tillemontius excusationem affert, sed minus idoneam. Ait namque hanc rituum varietatem, quam Firmilianus opponit, non quidem de Paschate, sed de multis aliis divinæ rei Sacramentis ad Epistolæ textum esse intelligendum. Equidem nihil miror Scriptorem oculatissimum, quæ offendit hujusce Epistolæ errata, utcunque potest, excusare. Abreptus est Vir Cl. ea opinatione, quæ jandiu Doctorum omnium mentibus penitus insederat: Firmilianum scilicet, non quem Sycophantam auctorem fuisse.

se.

ſe . Ceterum ſi verborum ſenſum introſpiciamus, id primo objecit, quod graviſſimum judicavit, nimirum. *Quod circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia videant eſſe apud illos aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur*. En in quo demum ſita eſt Hieroſolymitanæ, & Romanæ Eccleſiæ diſſimilitudo. Primum in Paſchatis celebratione; dein in multis aliis. Non enim ait, *quod circa celebrandos dies Paſchæ videat eſſe apud nos, ſive Orientales aliquas diverſitates, nec obſervari omnia æqualiter in Occidente, quæ Hieroſolymis obſervantur*. Ita enim fuerat dicendum, ut locus daretur Tillemontii interpretationi, ſed quæ ſequuntur apertius innuunt Romanam Eccleſiam conferri eo loco cum Hieroſolymitana, quemadmodum in ſequenti Hieroſolymitana cum aliis ab Romana confertur. *Secundum quod in ceteris quoque plurimis Provinciis multa pro locorum, & hominum diverſitate variantur*.

X.

Nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace, atque unitate diſceſſum eſt.

Si non eſt diſceſſum, parum abfuit, quin diſcederetur. Nihilo enim magis iratus fuit Stephanus Rebaptizantibus in Oriente, quam Quartadecimanis Victor Papa. Ille minitatus eſt ſe non amplius iis communicaturum ex Euſeb. lib. 7. cap. 3.

Hunc item minas non prætervectum Critici melioris notæ affirmant, merito observantes: eundem fuisse Dionysium Alexandrinum cum Stephano pro Rebaptizantibus, atque olim fuerat Irenæus pro Quartadecimanis cum Papa Victore. Quanquam literæ S. Irenæi verius Concilio Lugdunensi, cui Irenæus præerat, sint tribuendæ, ut optime advertit V. C. Henricus Valesius ad lib. 5. Hist. Eccles. Eusebii cap. 24. Quam Synodicam ad Victorem epistolam in eodem Eusebii libro, & capite videre est.

An vero plerique omnes Gallicani Scriptores Victorem inter atque Asiaticos iccirco pacem servatam fuisse ominentur, quo Ecclesiæ tranquillitatem Gallicano sive Episcopo, sive Concilio adjudicent, non est hic inquirendi locus. Certe nil apertius tradere poterat Eusebius lib. 5. cap. 24. Tamen Vir Cl. Henricus Valesius Eusebium corrigit, cui etiam Eusebio repugnant Tillemontius, & Alexander, quorum posterior eo potissimum adductus fuit, quod in hac Firmiliani epistola secus tradatur, & sane non erat, quod sibi in Eusebio tantopere blandiretur, vel ipso Valesio Auctore, præsertim quum ea, quæ contra farcit, facile usurpari possint pro pace non servata, sed restituta. Consultius ergo, & verius pronunciavit Pagius: Asiaticos a Victore fuisse communione privatos. Idipsum prædixerat Epiphanius Hæres. 70. cap. 9.

XI.

XI.

Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem, quam semper Antecessores ejus vobiscum amore, & honore mutuo custodierunt.

Id quidem Stephanus non ausus est facere, sed ipse omnium primus ausus est dicere. Jure namque Baronius negat Stephanum aliquando pacem cum Cypriano, & Afris fregisse. Et sane quamvis ægre tulerit Decretum secundum Concilii Carthaginiensis, graviterque commotus fuerit, ex Eusebio lib. 7. cap. 3., quamvis ut ait Augustinus lib. 5. cont. Donat. cap. 23. *præceperit* ne nihil innovaretur, & anathema illis minitatus fuerit; attamen nil quicquam seu a Cypriano, seu a Patribus Concilii III. Carthaginiensis scriptum reperio, judicari unde possit, ipsos a Stephano abstentos fuisse. Iccirco Hieronymus adversus Luciferianos hæc ait de Cypriano: *Sciens illum* [subde Stephanum] *hæc non cum anathemate eorum, qui se sequi noluerant edidisse, siquidem in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contrairent.* Quid ad hæc Pearsonius? Hieronymum adhuc juvenem eum Tractatum scripsisse. Equidem sic existimo. Si in eo ipso Tractatu, quem Pearsonius ob minus firmam eximii Doctoris ætatem parvipendit, pacem a Stephano fractam fuisse, scriberet Hieronymus, pari ingenio longe aliud fuisse dicturum, quo Hieronymi tametsi junioris dictum magis, magis-

que ſtabiliret. Diceret fortaſſe præproperam ætatem præpropero ſtudio compenſari: Res geſtas, quas quis junior ennaret, eo credibiliores eſſe, quo recentiores: Hieronymum eo loco ad hominem, ut ajunt, argumentari contra Luciſerianos, qui Luciferi Calaritani Epiſcopi exemplo confirmati eos Epiſcopos Sede orbandos exiſtimabant, qui in Ariminenſi Concilio Ario conſenſiſſent, quamvis errore detecto reſipuiſſent; nec ſane potius, neque accomodatius exemplum ſuccurrere potuiſſe, quam pax a Stephano cum Cypriano, ceteriſque Afris cuſtodita. Diceret tandem non eum fuiſſe id ætatis Hieronymum, qui non animadverteret, nil ſe profecturum, ſi factum minime exploratum, neque, ab Eccleſia receptum Luciferanis objiceret. Quid nunc obſtat, cur non eadem prorſus ego Pearſonio reponam? Hieronymo juniori conſenſit aliquanto poſt Auguſtinus jam ſenex rerum illarum Scriptor diligens juxta, ac veridicus, qui lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 25. de Stephano, & Cypriano hæc diſerte perhibuit. *Ita quamvis commotius, fraterne tamen indignarentur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut nullum inter eos ſchiſmatis malum oriretur.* Quod Hieronymi, & Auguſtini dictum ita me perſuaſum habet, ut verear, ne in duo maxima Eccleſiæ lumina injurioſus ſim, ſi quidpiam addam aliud ad tam magnum atque impudens mendacium refellendum. Qui rationum momenta exquirit adeat Natalem Alexandrum Hiſt. Eccleſ. Secul. 3. Diſſert. 2 art. pr. Maurinum in Vita Cypriani cap. 32. Pagium, Baro-

ronium, Pamelium, & Schelestratum. Nec probare possum Tillemontii conjecturam opinantis Augustinum secus fuisse dicturum, si Firmiliani Epistolam novisset. Nam quod eximius Doctor ignoraverit, non Augustinum inscientiæ, sed Epistolam confictionis accusat. Præterea Augustinus pluribi docet: iccirco a Deo permissum, ut Cyprianus in eum laberetur errorem; quo facilius tanto exemplo ceteros erudiret ad disceptandum in quæstionibus, quæ ad fidem pertinent, non in contentione, & æmulatione, sed in caritate, & in vinculo pacis, ita lib. 4. de Bapt. cap. 6. lib. 6. cap. 2. lib. 2. cap. 8. Quæ tamen nec toties, nec tam constanter, nec ad rem Christianorum dixisset, nisi de pace utrinque servata certior fuisset. Nec tam patiens fuisset Cyprianus [ut placet iis, qui Epistolam ad Pompejum Cyprianicam faciunt] ut excomunicationis pœnam susque, deque egisset, egisset autem in tot Epistolis, ni semel saltem sese purgasset; non autem se purgavit; igitur nec subiit.

XII.

Adbuc etiam infamans Petrum, & Paullum Beatos Apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint:

Petrum, & Paullum Beatissimos Apostolos nunquam a Stephano infamatos fuisse post annos LXV. Arelatensis, aut si mavis post LXXVI. Nicæna Synodus I. declaravit. At te insignem, atrocemque labem Firmiliani sapientiæ, & sanctitati

asperſiſſe, poſt XV. Sæcula Viri docti ſunt ſuſpicati, atque ego omnium primus a te illum ſacrilege infamatum fuiſſe demonſtravi; atque adeo infamatum, ut multo laborioſius ſit iis, qui a te conficta non animadvertunt, Firmilianum a furore, & ſchiſmate, quam ab hæreſi Rebaptizantium tueri.

XIII.

Quod totum nos in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in unum, convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & ceteris proximis Regionibus confirmavimus, tenendum contra Hæreticos firmiter, & judicandum, cum a quibuſdam de iſta re dubitaretur. Et multo poſt; *Plurimi ſimul convenientes in Iconio diligentiſſime tractavimus, & confirmavimus: repudiandum eſſe omnino baptiſma, quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum.*

Jam vero ad anachroniſmum ventum eſt. Qui tandem fieri potuit, ut Firmilianus Iconienſi Concilio interfuerit, cum Dionyſius Alexandrinus Firmiliano coævus de hac ipſa Baptiſmi controverſia ad Philemonem ſcribens, ſub initium Pontificatus Xiſti clariſſime indigitet, Synodum Iconienſem: *longe tempore ante Epiſcoporum memoria, qui antegreſſi ſunt* celebratam fuiſſe? apud Euſebium lib. 7. cap. 6. Nec Pagio acquieſco ad annum Chriſti 255. num. 15. & 16. exiſtimanti, *pro nomen illud* Nos *non de ipſius Firmiliani perſona, ſed*

po-

potius de ejus Decessoribus accipiendum. Quamvis enim aliter non sit accipiendum, aperte semel, atque iterum prædicat se convenisse; Neque cum ad turpem errorem devenitur, statim benigne est interpretandum, id namque tum demum temperate usque est agendum, quum alia nulla suboritur erroris suspicio, quamvis ne tum quidem a Nostratibus Criticis, a Pagio præsertim factum comperio, si de anachronismo agatur. Meminerit itaque Pagius pluralem numerum primæ personæ pro singulari frequenter, & quidem latine usurpari, quin & in hac ipsa Epistola, de qua disputamus, usitatum iterum, ac tertio. Non est igitur remissius agendum, quum major errandi præbetur occasio, velut hic perspicue præbetur; Nam si plurali numero pronomen illud *Nos* explicetur, pene sit judicandum, non modo Firmilianum, sed & plerosque Asiæ Episcopos etiam tum superstites Iconium convenisse, quod tamen latere Dionysium non potuit. Quodvero non de ejus Decessoribus, sed de ipsius Firmiliani persona sit accipiendum, nullum arbitror relictum esse ambigendi locum, si duo hujusce Epistolæ contextus, alter qui præit, alter qui sequitur cum hoc textu conferantur. *De vobis autem cognoscentes* (superius dixerat) *quod secundum regulam veritatis, & sapientiam Christi, hoc, de quo nunc quæritur, disposueritis, cum magna lætitia exultavimus, & Deo gratias egimus, quia invenimus in Fratribus tam longe positis tantam nobiscum fidei, & veritatis unanimitatem*. Sin vero res ita evenisset, uti Pagius con-

conjecit dicendum ſane fuerat. *Quia invenimus in Fratribus tam longe poſitis tantam cum Majoribus noſtris fidei, & veritatis unanimitatem*. Deinceps ſubdidit. *Plurimi ſimul convenientes in Iconio diligentiſſime tractavimus, & confirmavimus* &c. Vide quale adjunctum enumeret: *diligentiſſimam tractationem*, quæ tamen ab eo ſolum narrari poterat, qui, aut vere per ſe ei Concilio interfuiſſet, aut alteri imponere voluiſſet; atqui illud facto repugnat, hoc Firmiliano. Tollerabilius quam Pagius cenſuit doctiſſimus Valeſius in notis Euſebianis ad cap.7. lib. 7. hanc Synodum celebratam fuiſſe ſub extrema Alexandri Severi tempora, quibus Firmilianus ad Cæſarienſem Eccleſiam recens promotus fuerat, ut docet Euſebius lib.6.Subſcribit Valeſio Tillemontius, qui Concilium iſtud refert ad tempora Alexandri, & Firmilianum ipſum illi interfuiſſe ex hac Epiſtola affirmat. At non vidit Valeſius ſe, cum noxium defendere conetur, innoxium accuſare; Dionyſium, inquam, Alexandrinum libere ſcribentem: *longo tempore ante Epiſcoporum memoria qui antegreſſi ſunt* Iconienſe, ac Synnadenſe Concilium fuiſſe coactum. Quid vero illi opus fuerat Epiſcoporum memoriam, qui jampridem vivere deſierant, appellare? cum Cæſarienſem Epiſcopum, qui adhuc in vivis erat, in rem ſuam adducere potuiſſet; quin adducendus fuerat, ut ejus errorem Xiſto Romano Pontifici, ad quem pro Firmiliano, & Heleno præſertim deprecatus, literas dedit, opportune verbis extenuaret. Diceret: Firmilianum præ

ce-

ceteris venia dignum esse, quippe qui eam tueretur sententiam, quæ ab Iconiensi Conventu jampridem statuta fuerat; cui ipse interfuerat, cui subscripserat: Equidem existimo, si Pagius, si Valesius naso magis adunco, quo adeo pollebant, hanc Epistolam olfecissent, non fuisse tam levibus conjecturis locum hunc anachronismi culpa exempturos.

Postremo nihil difficile est, Pagium, ceterosque in angustum redigere si res ad complexionem adducatur; scilicet aut vera sunt, quæ de Iconiensi Concilio prædicat hæc Epistola, aut falsa. Si vera jam corruunt, & Epistolæ Dionysii Alexandrini, & Stephani Papæ decretum; si falsa, jam ipsa corruit Epistola, quæ falsitatis convincitur.

Nunc quod ad rem chronologicam maxime pertinet, Concilii Iconiensis tempus propius est inspiciendum. Miror Labbæum, ac Petavium, ceteroquin oculatissimos, Concilium istud potuisse ad An. CCLVIII; uno scilicet, eodemque anno, ad quem referunt, & Carthaginiense III. sub Sancto Cypriano. Fortassis adverbium illud *jampridem* aut non deprehenderunt in aliquibus M.S. aut adjectum censuerunt. Contra Harduinus ad ann. CCXXXI. Iconiense Concilium amandat, quod & ipse cum Valesio Epocham illam respexerit, quæ est apud Eusebium de initio Sacerdotii Firmiliani in Ecclesia Cæsariensi sub imperium Alexandri Severi. Verum quod Labbæum, Petaviumque permovit, ut in eo anno Synodum Iconiensem collocarent, quo rebaptizantium hæresim

recruduisse existimarunt, me propemodum movet, ut ad Pontificatum Sancti Soteris Papæ, & ad Imperium Marci Aurelii, & Commodi; vel aliquanto post Iconiensis Concilii convocationem traducam, quo tempore emersit Montani hæresis, cujus asseclæ Καταφρυγας, quod Phrygius Montanus foret, appellati sunt, & non serpere modo, sed, & grassari tota Asia cepisse, jam inde conjectare licet, quod tenebrarum potestas, novo, & inaudito fraudis genere, multos utriusque sexus pervaserit, tum virilis, ut Montanum ipsum, Alcibiadem, ac Theodotum ex Euseb. lib. 5. cap. 3. tum muliebris, ut Priscillam, & Maximillam, de quibus idem Eusebius lib. 5. cap. 16, quos omnes tanto ciebat furore, ut prophetico, quin & ipso Sancto Spiritu plenos, & afflatos incautis, & insipientibus obtruderet. Quæ quidem Secta eo periculosior fuit, quo austeriorem, gravioremque vitam præseferebat. Quam vero longe, lateque Montani hæresis pervagata sit perspicere est in Epistola Synodica Sancti Serapionis Antiocheni apud Eusebium lib. 5. cap. 19. in qua testatur universum pene Terrarum Orbem pervasisse. Quid plura? Idem S. Victor Papa eorum verbis abreptus, atque illorum testimoniis, qui Montanistarum partibus studebant, deceptus, pacem Montanistis concessit, quam mox ademit suasore S. Martyre Praxea, qui ejusmodi Sectæ fraudes, dolosque reseravit. Quod quidem ægre tulit Tertullianus, qui se Montanistam factum ex sola [sed obreptitia] Papæ Victoris approbatione testatur. Nunc ve-

vero quis credat talem, tantamque hæresim, quæ non Orientem modo, sed Meridiem, atque Occidentem pervaserat, non fuisse a SS. illis Orientalibus Episcopis publico Ecclesiarum judicio damnandam? aut illius damnationem ad Alexandrum usque Severum protrahendam? & quidem plura Concilia Asiatica, & Græca in Montanistas habita fuisse, quorum acta, & nomina ignorantur, perhibet Eusebius lib.5.c.16. quibus cur Iconiense annumerari non possit, nulla me abstrahit ratio; quin contra urget Dionysii Alexandrini dictum. *Longo tempore ante Episcoporum memoria, qui antegressi sunt*; quin, & ipsa, quæ Firmiliano adscribitur Epistola, in qua priusquam agit de Concilio Iconiensi hæc proxime prædixerat. *Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant, qui & si novos prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem, & Filium nosse nobiscum videntur, plurimi simul convenientes in Iconio* &c. qui locus de Cataphrygibus aperte disserit, qui novas prophetias ostentabant, eundemque Patrem, & Filium cum Catholicis noscebant, sed non eundem Spiritum Sanctum, quippe qui crederent: Montanum esse Paracletum a Christo promissum. Deinde quæ de Femina præstigiatrice præmittuntur, satis commode ad Maximillam atque Priscillam referri possunt, quarum utram sub Alexandro vixisse, & pene octuagenariam Præsbyterum Rusticum, & alium Diaconum fallere potuisse, iisdemque commisceri, paralogismum sapit. Tum quod Blondellus de Sibyl. lib. 2. sibyllinos libros

Montano adjudicavit, confectarie multo ante annum CXLI. Tum tandem quod Apollonius, qui omnium elegantiſſime, ac ſolidiſſime Euſebio, ac Hieronymo teſtibus, Montaniſtarum commenta refutavit, ſcripſerit apud Euſebium lib. 5. cap. 18. Montanum adhuc in vivis fuiſſe, cum Maximilla dum de illis, ac in illos ſcriberet, quod evenit anno circiter CCXI. qui fuit Caracallæ primus. De Priſcilla vero ita loquitur ac ſi jam obiiſſet. Ceterum alia fuiſſe ſequentibus temporibus, & ſub Alexandro Mulier, quæ eadem ipſa præſtiterit, quæ hæc Epiſtola perhibet, nullo alio teſtimonio probatur. Hinc Tillemontius fatetur, magnum quiddam eſſe tam inſignem hiſtoriam fuiſſe ab Auguſtino ignoratam. Denique Firmilianus ipſe conſuetudini Romanorum conſuetudinem Orientalium opponit, & e veſtigio ſubdit Concilium Iconienſe, ex quo initium ſumſit ritus rebaptizandi Cataphrygas, quum aliud nullum exemplum prius ſuppetat, unde hæc proceſſerit conſuetudo. Quod autem ſubtexuit: *Nec meminimus hoc apud nos aliquando cepiſſe, cum ſemper iſtic obſervatum ſit*, meum non eſt explicare, ſed ejus, cujus mentita eſt iniquitas ſibi. Nam ſi rebaptiſmi conſuetudo ea erat, cujus memoria non extabat, quorſum Concilii Iconienſis convocatio? Quorſum diligentiſſima tractatio? Si quarumcunque vel levium, longeque minorum hæreſum baptiſma ex immemorabili conſuetudine repudiabatur, qui tandem fieri potuit, ut talis ac tanta oriretur quæſtio de eo baptiſmo qui forma corrupta, & Spiritui San-

cto

cto inimica miniſtrabatur? Annon res eodem recidit, ſi undique cribretur, anachroniſmum committi? quo hunc pſeudo-Firmilianum nemo purget, qui antiquitatis conſulat monumenta.

XIV.

Quale eſt autem, ut cum Paullus poſt Johannis baptiſma iterato diſcipulos ſuos baptizaſſe videamus, nos eos, qui ab hæreſi ad Eccleſiam veniunt, poſt illicitam, & profanam illorum tinctionem baptizare dubitemus.

Iſta ex numero eorum ſunt quæ addidit ad cumulandam probationem. Egregia ſane argumentatio. Baptizavit Paullus a Johanne baptizatos, qui neque ſi Spiritus Sanctus eſt audierant; igitur & rebaptizandi ii ſunt, qui cum invocatione SS. Trinitatis ab hæreticis ſunt baptizati. Multum quidem intereſt Iohannem inter atque Hæreticos ſi Sanctitatem ſpectes; multo etiam magis ſi baptiſmi formam. Illam non probamus modo, ſed colimus, hanc poſt Chriſti baptiſmum in figuras, & umbras rejicimus. Argumentum iſtuc ex Johannis exemplo mutuatus eſt ex Epiſtola Cypriani ad Jubajanum prope finem, quod exemplum Cyprianico ſtilo expolitur. Sed an hæc Epiſtola ad Jubajanum Cyprianica ſit, dubitavit Auguſtinus lib. 2. Con. Creſcon. cap. 33. Videat prudens Lector, an ejuſmodi argumentatio digna ſit ſapien-

 tia,

tia, & doctrina, cum Firmiliani, tum Cypriani? & an respondeat sententiæ Tertulliani lib. de Bapt. quin, & Concilii Trid. sess. 7. can. 1. sancito contra Lutherum, ejusque asseclas Bucerum, ac Melancthonem, nec non contra Calvinum, & Zuinglium.

XV.

Ut ex hoc persecutio quoque gravis adversum nos Christiani nominis fieret.

Videtur hoc ex eodem argumento Cypriani sumtum contra Demetrianum contendentem, ærumnas omnes quibus id temporis Terrarum Orbis divexabatur Christianis esse imputandas.

XVI.

Serenianus tunc fuit in nostra Provincia Præses.

Provinciam Ponticam reperio in laterculo Provinciarum Proconsularium, ad quas non Præsides, sed Proconsules legabantur, quemadmodum & Proprætores ad Prætorias.

In hac autem perturbatione constitutis Fidelibus, & huc, atque illuc persecutionis metu fugientibus, & Patrias suas relinquentibus, atque in alias partes Regionum transeuntibus, erat enim transeundi facultas, eo quod persecutio illa non per totum Mundum, sed localis fuisset.

Narrat quidem Severus Sulpicius lib. 2. Hist. Sacræ fuisse & Maximini tempore aliquam persecutionem, quam tamen inter septem numerandam non putat, quod triennium dumtaxat perduraverit, teste Eusebio lib. 6. cap. 20.. qui tamen sextam illam facit. Sed ita narrat Sulpitius, ut tantum quorundam Ecclesiarum Clericos scribat a Maximino vexatos. Verum si Sulpicii testimonio tres annos duravit, Maximini vitam æquavit. Ex quo plurimus est opinandi locus, persecutionem illam veram, & generalem fuisse; quod ut credam, eo maxime adducor, quod tum temporis extiterit hæresis Helcheseitarum, docentium, licitum esse fidem ore negare, modo in corde retineretur ex Euseb. lib. 6. Hist. cap. 28. Hinc alterutrum sit oportet. Aut enim ea persecutio generalis fuit, sicque mentitur Epistola, quæ illam localem tantum fuisse tradit; aut vere ita evenit, ut Sulpicius enarrat, neque tum fuit tam acerba, & dira. Pamelius merito de hac persecutione dubitasse videtur, quod dispares de illa sententias retulerit, ac dein modum innuerit meudacii recluden-

di,

di, nimirum; ut reperiatur alicubi in Martyrologiis Sereniani mentio, ſed in re tam ancipiti nobis non præſtat labore improbo rem non magnam inquirere, quam Pamelius non inquiſivit; neque enim ad id preſtandum tantum mihi otii ſuppetit, ut valeam, neque tantum patientiæ, ut velim.

XVIII.

Emerſit iſtic ſubito quædam mulier, quæ &c. mirabilia quædam, & portentoſa perficiens, & facere ſe Terram movere polliceretur. Non quod Dæmoni tanta eſſet poteſtas, ut Terram movere, aut elementum concutere juſſu valeret, ſed quod nonnunquam ſpiritus nequam præſciens, & intelligens terræmotum futurum, id ſe facturum eſſe ſimularet, quod futurum videret.

Perdifficilis, & per obſcura quæſtio: an Dœmones ex cauſſarum naturalium coitione Terræmotum proſpicere poſſit? quod ſi donetur, jam altera ſuboritur: an poſſit ipſe per ſe Terræmotus cauſſas ciere, atque conjungere. Quæ de Aſtrorum tactibus prædicantur, ſi qua vis Aſtrorum tactibus ineſt, aut ſi quis Aſtris tactus, neutiquam poſſe humanæ mentis acie præſentiri, ex deſperato conjunctionum calculo V.Cl. Montanarius apertiſſime collegit. Idipſum porro non auſim de Dœmone affirmare. Sed ſi quæſtio in Terræmotum recidat, potius erat Chriſtiani Philoſophi id inficiari, & quidem ſanctis literis perhibentibus.

XIX.

Hic, & unum de Præsbyteris Rusticum.

Nomen latinum homini græco, si non novum, certe suspectum, tum maxime, cum plures subsunt suspicandi caussæ.

XX.

Sine Sacramento solitæ prædicationis offerret.

Risus abstineam? Perdita, venefica; & sacrilega femina exprobratur inde magis, quod Eucharistiam conficeret sine Sacramento solitæ prædicationis. Qui *precationis* legunt cum Gauchio omnino falluntur, tum quod *prædicationis* legant MS. omnes Codices, tum quod Verbi Dei prædicatio fieri olim consueverit in Sacrificio Missæ. Addo etiam, non posse *precationis* substitui, quod jam superius præmiserit: *invocatione non contemptibili sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet*, iccirco si e vestigio subdidisset: *sine Sacramento solitæ precationis*, jam sibi contrarius esset. Exprobari autem quempiam, quod crimen crimini non adjecerit ineptissimum est. Crimen vero crimini adjecisset Femina præstigiatrix, quæ ausa esset & Verbum Dei ministrare contra Apostoli præceptum. *Mulieres in Ecclesiis taceant*. Tillemontius legit *non sine*, sed nullo Codice suffragante.

XXI.

Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam, & manifestam Stephani stultitiam.

Tu quidem injuste, fortassis etiam ficte. At ego juste, & serio indignor ad hanc tuam tam apertam, & manifestam audaciam, & nequitiam. *Qui dixerit Fratri suo Raca* (inquit Dominus Matt. 1.22) *reus erit gehennæ ignis*. Ad quem locum apposite Cyprianus ipse in Epist. ad Cornel. LV. *Quomodo possunt censuram Domini ultoris evadere, qui talia ingerunt non solum Fratribus, sed & Sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, ut quisquis Sacerdoti ejus, & ad tempus hic judicanti non obtemperaret, statim necaretur*. Quam caussam nisi ineptam, falsam, iniquam adducent qui huic Epistolæ patrocinantur ad ejus Auctorem concilio, & gehenna liberandum? At enim concitatior scripsit, nec minus asperis Stephani literis incensus. Nugæ: manibus, pedibusque quam volunt conentur, nisi ad furorem confugiunt, laterem lavant. Quas a Majoribus nostris immo, & a Christo Jesu de patientia exercenda accepimus præceptiones, efficiunt, ne Auctor tam contumeliosus, ob quamvis obtrectatorum irritationem, purgatus Deo esse queat. Sed ad posterioris capitis institutum hæc magis pertinent.

XXII.

XXII.

Qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit.... Qui per successionem, Cathedram Petri habere se prædicat.

Quid est hoc monstri? *gloriatur, contendit, prædicat*. Ego ne tam demens, ut hæc a Firmiliano scripta existimem, & a Cypriano translata? Mihi hercle non fit verisimile, Episcopum Catholicum, & summi nominis hæc scribere potuisse. Ad quem tandem ista scribuntur? Ad Cyprianum scilicet, qui in Epistola ad Cornelium de Felicissimo agens Fortunati partes fovente, ac ejusdem legatione Romam navigante hæc ait. *Post ista adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, a Schismaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est*. A quo scriptæ perhibentur? Nimirum a Firmiliano, pro quo non minus quam pro Heleno, ceterisque Orientis Episcopis S. Dionysius Alexandrinus Xistum Stephani Successorem obtestatus est, ne quid gravius in eos statueret, quod rebaptizari putarent. Videntur ne & Cypriani verba, & Firmiliani formido, Stephani in Petri Cathedra successionem in contentionem, & vanam prædicationem adducere? Adducunt autem verba illa livida, & subdola: *prædicat, gloriatur, contendit*. Qui ad oppositum con-

firmandum hæc dicta traducunt, nec falsum scribentis animum, nec verum verborum sensum percipiunt.

XXIII.

Et non pudet Stephanum hæc asserere?. &c.

Quin te potius pudeat tot dira, tamque atrocia in Sanctissimum ac Summum Dei Sacerdotem effutire. Me sane pudet acerbissimam quam hic subdis in Stephanum actionem exscribere, adeo amarulenta est, ut nec impune recitari queat. Et quisquam erit, qui Beatissimo Cæsariensi Episcopo hanc adjudicet, quam ne referre quidem quis audeat sine injuria Christianæ humilitatis, & Catholicæ communionis?

XXIV.

Quando enim baptismo hæreticorum communicas &c. tu hæreticis ipsis pejores.

Ecquis tam ferreus, ut teneat se? Parum illi fuit stultum, imperitum, jactatorem, animosum, schismaticum, hæreticum appellasse Stephanum, ni hæreticis etiam pejorem prædicasset. Annon quæstio de baptismo Cypriani quidem judicio erat de disciplina? Annon præfatus est Cyprianus in Carthaginiensi III.? *Neminem condemnantes, aut a jure commmunionis aliquem, si diversum sen-*

se-

ferit, *amoventes*. Cur hic Stephanum Firmilianus condemnat? Cur a communione amovet? Quid dixi amovet a communione? Hæreticis pejorem vociferat.

XXV.

Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis.

Oxoniensis, quo facilius hæc Epistola ex græco translata ducatur, observat, frustra hunc textum alibi requiri, quam in versione græca, & abesse a codicibus Hebræis, & vulgato latino. Quod etsi lubenter permittimus, jam conjecturam græcæ translationis elidimus, quod non solum a Tertulliano lib. pr. adversus Marcionem afferatur; verum etiam Nemesianus a Thubunis hunc inter ceteros textum attulerit in Carthaginiensi III. *Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis.*

XXVI.

Nisi quod imperitos, & animosos &c.

Pergit debacchari, sed multo acerbiora efficiunt, ut hæc prætermittamus; quæ hoc tempore satis essent ad aliquam Catholici, & modesti Scriptoris Epistolam confictionis insimulandam.

XXVII.

Lites enim, & diſſenſiones quantas paraſti per Eccleſias totius Mundi?

An Eccleſiæ Africanæ, quarum non omnes Cypriano conſentiebant; an Eccleſiæ Orientales, quarum fere omnes Firmiliano repugnabant, tot Synodis contra Anabaptiſmum celebratis, afficiant Eccleſias totius Mundi, norint qui ſapiunt. Præſtat audire Auguſtinum lib. 2. contta Donatiſtas cap. 8. hæc de Cypriano tradentem. *Ubique intuens univerſalem, robuſtamque conſuetudinem, & cap. 7. ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia* Sic iterum cap. 9. *Conſuetudinis robore tenebatur Orbis Terrarum*, & lib. 4. c. 6. affirmat Cyprianum egiſſe adverſus totius Orbis morem. Sed clariſſime, & plane ad rem lib. 3. cont. Creſconium cap. 3. *Jam ſi omnino credendum ſit quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto Orbe diſplicuit.*

XXVIII.

Peccatum vero quam magnum tibi exageraſti quando te a tot Gregibus ſcidiſti. Excidiſti enim teipſum, noli fallere. Siquidem ille vere Schiſmaticus, qui ſe a communione Eccleſiaſticæ unitate apoſtatam fecerit.

Hic ſchiſmaticum, & apoſtatam Stephanum appellat, quo jure, quave injuria, ipſe viderit.

XXIX.

XXIX.

Quid enim humilius, aut lenius, quam cum tot Episcopis per totum Mundum dissensisse?

Hoc unum deerat ad lenitatem, ac temperantiam pacifici Scriptoris, ut pro ira evomenda ad exquisitiores objurgandi formulas abiret, nimirum ad Ironiam. Post in idem recidit, quod modo imposuerat: Stephanum per totum Mundum cum tot Episcopis dissensisse. Scilicet si vere hæc Epistola est Firmiliani, conficta sunt omnia Concilia in Oriente adversus Rebaptizantes celebrata.

XXX.

Pacem cum singulis .... rumpentem.

Is, quem cum nemine pacem fregisse liquet, qua fronte affirmatur fregisse cum singulis?

XXXI.

Vario discordiæ genere.

Ignoravit sane Cyprianus, ignoravit Eusebius; ignoravit Augustinus, & nos etiamnum ignoramus, quæ contentio præter hanc de Baptismo, Stephano fuerit cum singulis Episcopis, ob quam pacem semper cum illis fregerit, quin etiam vario discordiæ genere.

Lom-

Lombertus in vita Cyprianica varium hoc discordiæ genus explicat de Novatianiſmo, cui ſubſcribere videtur Tillemontius, qui talibus tricis ſeſe minime expedit. Quonam vero pacto ſe expediat, qui probe ſciat, Novatianiſmum ſub Cornelio initium cœpiſſe, & a Sanctiſſimis Epiſcopis Cypriano, & Firmiliano fuiſſe damnatum, ab uno quidem, & compluribus literis, & Synodo Carthaginienſi. Ab altero vero in Synodo Antiochena, uti ex Euſebio lib.6.cap.46: Quid vero iniquum magis, quam ſi alteri id objicias, in quo primus pecces. Quid etiam abſurdius, quam ſi quempiam Schiſmaticum ideo appelles, quod Schiſma deteſtetur? atque illud præſertim, quod tu prior es deteſtatus? Quod non ſui cauſſa ſed alterius, qui jam objerit, tibique amiciſſimus fuerit, conflatum ſit?

XXXII.

Modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus.

Συκοφάντι. Si quæ predixit vera ſunt, quonam tandem modo Cyprianum laterent? Cur Cyprianus ad eum Rogatianum in longiſſimas Regiones expediret, de cujus ſententia dubitaret? Quod ſi non dubitavit; quod ſi per Clerum Romanum, qui cum maxima illi intercedebat neceſſitudo, tam commode reſcire potuit, quænam aptior, atque expeditior inſinuationis via? quam id dicere,
ſe

ſe icirco ad eum ſcribere, quod ſciret illum in eadem eſſe ſententia. Quis ſibi perſuadeat rem ſecus eveniſſe atque ego conjicio, ut rei fert natura.

XXXIII.

A quibus Legatos Epiſcopos patienter ſatis, & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret: &c.

Baronius contendit Legatos iſtos non fuiſſe Africanæ, ſed Orientalis Eccleſiæ, quod ægre tulit Pearſonius, veritus; ne Baronius hac explicatione innuere voluerit primatum Romani Pontifici ob Legatos ab Oriente miſſos, & a Stephano non receptos, quos ex dictionis ſtructura Africanos fuiſſe autumat. Et certe ſi de Orientalibus non explicetur, non eſt locus huic legationi. Quare alterutrum ſit oportet, aut fuiſſe Orientales, aut nullos omnino Legatos fuiſſe. De Africanis namque Legatis ſic a Stephano male acceptis, uti perhibet hæc Epiſtola, ne verbum quidem ſit in literis Cyprianicis, quod maxime faciendum fuerat in Epiſtola ad Pompejum, in qua nihil prætermiſit, quod Stephano odium conflare poſſet. Quæ illiberalis, ſeu verius inhumana, Legatorum exceptio erat ſane omnium minime prætermittenda.

XXXIV.

Insuper, & Cyprianum pseudo-Christum, & pseudo-Apostolum, & dolosum operarium dicere.

Baronius libere pronunciavit: Firmilianum mentitum esse. Pearsonius detestatus est miram hanc Baronii licentiam. Quibus tandem conjecturis Baronius mendacii Firmilianum evicit? quia Cyprianus de his ne leviter quidem conquestus est. Dein, & argumento ab Augustino petito, qui cuncta, quæ eodem tempore contigerunt ab eodem scripta exacte pervidit. Pearsonius contra. *Non erat certe Firmilianus in hunc modum tractandus, qui Dionysio Alexandrino, & Nicephoro, Baronio teste, Doctrina, & Sanctitate morum nulli propemodnm illorum temporum credebatur secundus.* Ego vero media via incedens, nec Baronii conjecturas improbo, nec Pearsonii reprehensionem vitupero. Incredibile siquidem prorsus videtur, Stephanum potuisse hæc in Sanctissimum Cyprianum in mera disciplinæ controversia effutire, tum quod Cypriani nomen maximi in Ecclesia Romana fieret, tum quod Cyprianus in Epistola ad Pompejum ab ejusmodi Stephani delationibus se se purgare debuisset, tum quod nil tale penes Augustinum harum contentionum Scriptorem accuratissimum deprehendatur. Alia ex parte non erat tam aperte mendacii arguendus Episcopus Sanctimonia percelebris. Consultius dicendum erat cum Christiano Lupo loco superius citato. *Propter hæc*

sola

sola verba dubitandum esse, an hæc Epistola Firmiliani sit vera. Quid reponit Pearsonius ad Cypriani silentium? *Hæc* (inquit) *quæ Firmilianus prodidit, scripta sunt ad Orientales Episcopos, nec ea novit Cyprianus antequam a Firmiliano accepit, post cujus literas acceptas ipse de Stephano nil scripsit*. At Pearsonius Hydram secat. Unde enim conjicit: Stephanum prius ad Orientales, quam ad Afros Episcopos, hæc de Cypriano scripsisse? Quis hæc paralogismo absolvat? cum nullo documento a Pearsonio affirmentur. Quis non videt, Pearsonium merum esse contortorem? quo satius hanc Epistolam vendicet, quam vendicare multum certe illius intererat, ut negocium crearet in Summum Pontificatum, quippe cui ipse infensissimus esset.

XXXV.

Quæ ipse ex merito deberet audire.

Si injurius fuit, & contumeliosus Stephanus, quod hæc scripserit de Cypriano; quidni injurius, & contumeliosus haberetur Firmilianus si par pari retulisset? contra Apostoli præceptum: *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*.

CAPUT III.

Argumenta adducuntur, quibus Firmiliani auctoritas huic Epistolæ vendicari possit, & singillatim confutantur.

QUam ingenue non minus quam libere Epistolam hanc de confictione postulaverim, noverit quicunque legerit; an etiam evicerim, doctorum hominum judicium esto. Jam vero quo magis nostra ingenuitas perspicua fiat, argumenta profero, non quæ afferuntur, nemo siquidem etiam nunc attulit, sed quæ possent afferri. Certe nullum eorum reticebimus, quod nostra nobis suggesserit investigatio, simulque ita diluemus, ut clarissime perspiciatur, nullo argumento hanc Epistolam Firmiliano adjudicari posse; propterea alicui potius Donatistæ esse tribuendam.

Primum itaque argumentum iis, qui Epistolam Firmilianicam putant, suppeditat Augustinus lib. 3. cont. Crescon. cap. pr. in quo sic præfatur. *Quidquid de Cypriani Venerabilis Martyris, & de quorundam Orientalium literis inserendum putasti, quod eis placuerit apud Hæreticos, & Schismaticos datum improbare Baptismi Sacramentum, nihil impedit caussam nostram*. Ex quo Augustini loco non obscure conjicitur, inter quorumdam Orientalium literas Augustino a Cresconio propo-

sitas, & hanc Firmiliani adductam fuisse, quippe quæ Donatistis maximopere obsecundaret. Locum hunc ita adnotant Maurini. *De literis forte Firmiliani Cæsareæ Cappadociæ Episcopi Cypriano inscriptis, & inter Cyprianicas vulgatis.*

Sed hanc opinationem ex instituto diluit Tillemontius cujus sensum lubet hic referre, & verba transferre. *Innuunt* (inquit) *verba isthæc Augustinum quidpiam aliud a Firmiliani Epistola intelligere, quæ quidem Epistola unius tantum Episcopi nomine inscripta est. Videtur præterea hæc Epistola præteriisse Augustinum; nunquam enim reponit Augustinus immemorabili consuetudini, quam hæc Epistola portendit, quod quidem abhorret ab Augustini ingenuitate. Ille siquidem si hoc rescisset, nullo modo dissimulasset. Nec aliud rescivit Feminæ præstigiatricis exemplum, quod fuse persequitur Firmilianus in Epistola.* Hæc Tillemontius. Enimvero nemo unus est, qui Donatistarum audaciam, & Augustini in disceptando institutum pernoverit, & id sibi persuadeat, & illos tantum patrocinium prætermissuros fuisse, & hunc tantam difficultatem declinaturum. Qua vero conjectura Maurini Adnotatores suspicati fuerint ejusmodi Orientalium literas ad Firmiliani Epistolam referri posse, plane non video. Repugnat siquidem Augustini responsum adductum cap. 3. ejusdem libri ad eam ipsam Cresconii objectationem. *Proinde*, (inquit), *si omnino jam credendum sit L. Episcopis Orientalium id esse visum, quod LXX. Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, qui-*

bus hic error in toto Orbe displicuit. Hic aperte Augustinus disserit de aliquo Orientali Concilio ex L. Episcopis conflato, ut probe advertit doctissimus Valesius, fortasse de Iconiensi, aut Synnadensi. De quocunque demum sit explicandus, certe Augustinus de veritate hujus Concilii dubitavit, quod tantummodo in Donatistarum hypothesi recepit, non absolute, uti liquet ex iis verbis: *si omnino credendum sit L. Episcopis Orientalium id esse visum; quod LXX. Afris*.

Alterum porro argumentum, quo fides Firmiliani literis videtur statui posse, eo vergit, ut Firmilianum maledici labe absolvat. Quis enim non absolveret hominem vel Sanctissimum a Stephano lacessitum, de quo Pamelius suspicatur: Ea potissimum de caussà, quod ad Firmilianum, Helenum, & ceteros illarum partium Episcopos Stephanus aliam quoque Epistolam scripserat, se illis non communicaturum, quandiu in ea sententia de baptizandis hæreticis persisterent, uti ex Epistola Dionysii Alexandrini ad Xistum Stephani successorem docet Eusebius Hist. Eccles. lib. 7. cap. 4.

Ne quis objiciat Christianam patientiam, qua Firmiliano perferenda erant quæcunque a Stephano sibi illata fuissent convicia; est namque patientia quædam minime laudanda ex Augustino Epist. 185. al. 50. ad Bonifacium, in qua exempla affert Paulli suam vitam tuentis, & Cæsarem appellantis; item Absalom interfecti contra Davidis jussum præter voluntatem, ad purgandum Maximianum Episcopum Bagajensem, *qui auxilium peti-*

ti-

tivit ab Imperatore Christiano, non tam sui ulciscendi caussa, quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ; quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda. Id ipsum de Firmiliano Hæreticis infenso affirmandum est, qui si paullo commotior, ac vehementior in Stephanum scripsit, in caussa fuit, quod fidei dogma sese tueri arbitrabatur. Adde ex Sancto Prospero lib. 3. de Vita contemplat. plurimum referre *non quid, sed propter quid patiamur*, & paullo post: *patientiam veram non facit pœna, sed caussa*. Quæ vero caussa dissimulandi, vel mitius agendi suberat Firmiliano? qui bona fide Religionis asserendæ gratia agebat. At enim parcendum erat tum, quum ageretur de Petri successore. Quid postea? Annon cum ipso Petro agebat Paullus ad Gal. 2. C. 14., tum cum illi exprobrans, & in faciem resistens, inquit: *Quomodo gentes cogis judaizare?* Succurrit & Hieronymi juxta sanctissimi, ac sapientissimi exemplum, qui a Clericis ob nimiam carpendi mores, maxime Ecclesiasticorum, libertatem, vociferatus fuit *Omnium lacerator*. Demum & ipsius Cypriani in Epist. ad Pompejum, in qua non secus ac Firmilianus acerbe Stephano insultat ob eam ipsam caussam baptismi hæreticorum.

Ad istud objectum puto satis, superque responsum fuisse superius num. 2. cap. 1. Verum, quo magis, magisque per singula fiat satis, reponere juvat: nos quidem longe plus, quam reliquis Cypriani Adnotatoribus Pamelio deferre, quippe homi-

mini justo æque ac sapienti. Sed Pamelius tantummodo suspicatus est, rem ita evenisse, non serio affirmavit. Et plane fuerat suspicandum de Stephani literis ad Orientales ei, qui de Firmiliani Epistola ne leviter quidem fuerat suspicatus; quod si fuisset, confidimus, Pamelium non secus atque nos fuisse illam rejecturum. Quæ extant apud Eusebium Dionysii Alexandrini ad Xistum literæ, nil tale continent, quo Orientales Episcopi a Stephano abstenti, & Stephanus Firmiliano speciatim iratior fuisse dicantur. Sed minas tantum habent, quas Dionysius avertit, intercessoribus Philemone, & Dionysio Romanis præsbyteris. Ceterum Firmilianus adeo excanduit ob solum ad se transmissum a Cypriano Stephani decreto; at de acrioribus Stephani literis ad Orientales Episcopos ne verbum quidem. Firmilianus quidem Pamelio teste vehementius, & acerbius quam Episcopum deceat, ad Cyprianum rescripsit, quo in rescripto Christiana patientia plurimum desideratur, quod si aliquando necessaria sit, tum maxime cum agendum sit cum Romano Pontifice, ex Cathedra præsertim universam Ecclesiam docente. Nec refert: Firmilianum non acquievisse Stephani judicio; primo enim contendo fuisse omnino acquiescendum; deinde, si non acquieverit, mitius, ac temperatius agendum usque esse cum Summo Pontifice, exemplo Christi, & Pauli; quæ Cyprianus affert in rem suam contra Florentium Pupianum in Epist. 69. ita enim inquit. *Et Dominus in Evangelio cum ei dictum esset: sic*

re-

respondes Pontifici? custodiens, & docens Sacerdotalem honorem servari oportere, contra Pontificem nihil dixit, sed innocentiam suam tantummodo purgans responderit, dicens: si male locutus sum, exprobra de malo; si autem bene, quid me cædis? Item Beatus Apostolus, cum ei dictum esset: Sic insilis in Sacerdotem Dei maledicendo? nihil contumeliose locutus sit adversus Sacerdotem: quando, & potuerit se constanter referere adversus eos qui Dominum crucifixissent, & qui jam Deum, & Christum, & Templum, & Sacerdotium perdidissent. Sed quamvis in falsis, & spoliatis Sacerdotibus, umbram tamen ipsam inanem Sacerdotalis nominis cogitans, dixerit: Nesciebam Fratres, quia Pontifex est, scriptum est enim Principem Populi tui non maledices. Ex qua Cypriani doctrina illud in primis, sed obiter, atque iterum intelligitur, nunquam Cyprianum Firmiliani Epistolam fuisse vulgaturum, multo etiam minus in latinum translaturum: tum alterum, quod nostra omnino interest, inexcusabilem utique fuisse Firmilianum, si tam dira vomisset in Summum Dei Sacerdotem. Quæ de Episcopo Bagajensi ex Augustino adducta sunt, non improbamus; potuisse enim, & posse etiamnum Christianos apertam injustamque vim utcunque propulsare, fuse, diserte, ac solide Grotius demonstrat de Jure Belli, ac pacis lib. pr. cap. 3., & id quidem non gentium modo, sed & divino, & naturali jure permitti. Ceterum quod Augustinus ad publicas Ecclesiæ illatas injurias vendicandas Maximiano concessit, ad privatas tamen ulciscen-

das Christianis quibuslibet apertissime denegavit, atque adeo, ut ne vitæ quidem tuendæ reliquerit facultatem. Namque ita præcepit Doctor eximius lib. pr. de lib. arbit. cap. 5. *Legem quidem non reprehendo, quæ tales* (subde Latrones, & alios invasores violentos) *permittit interfici, sed quomodo istos, qui interficiunt, defendam non invenio*, & Epist. 47. al. 154. ad Publicolam. *De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, accepta legitima potestate*. Cohæret Ambrosius lib. 3. de offic. cap. 3. *Christianus etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non potest; ne dum salutem defendit, pietatem contaminet*. Jam porro dicant qui sapiunt, an hæc Firmiliani iracundia Ambrosio, atque Augustino probari potuisset? Verum non idem forte fuerit græcis Patribus de Christiana patientia judicium, quod Latinis fuit. Enim vero nihilo minus quam Latinis; ut etiamsi ad vitam tuendam quæstio referatur, non difficile sit quempiam ex Orientalibus reperire, qui longe ante Ambrosium, & Augustinum idem prorsus præceperit. Nec procul a Firmiliani sede tota Asia vagari opus est, ut unum aliquem deprehendam. Quin, & in ipsa Cæsariensi Ecclesia, cui Firmilianus præerat, & in qua nunc sum, lubenter consisto. Existat igitur Magnus Basilius, Firmiliani Summus Admirator, ac Firmiliani in Cæsariensi Archiepiscopatu Successor in secunda ad Amphilochium Epistola

can.

can: 43. & 55. & quisquam dubitabit an vetemur maledicentibus maledicere? quibus ne vitam quidem nostram defendere permissum est. Ut ut sententia ista se habeat, quam ego nec laudo, nec vitupero, tamen reapse aptissima, & expedita ab iis, quæ majora sunt ad minora inde oritur argumentatio.

Quæ auctoritate S. Prosperi de patientia non semper laudanda afferuntur Firmiliano non suffragantur, fuco Religionis vendicandæ; cogitandum namque illi fuerat, in hoc fidei studio Stephanum sibi nihil prorsus concedere, & Religionem ipsam vendicandam usque esse incolumi caritate, cujus patrocinium præseferre contra Romani Pontificis decretum mos est & credulitas Hæreticorum. Iccirco patientiam insigniter labefactasset Firmilianus, in quo cum Prospero loco citato, *non patientia laudanda esset, sed miranda duritia*. Quid vero si Stephanus ad Firmilianum acerbius scripserit? quid si Hæreticum appellaverit? per me licet; magis, ac magis contendo, nunquam sibi licuisse præter modum irasci, ac plane furere.

Nec movet me quod proclive est objectu nimirum excandescentia, qua si quis correptus alteri injuriam inferat, injustus tamen non dicitur, propterea scriptum est, *Irascimini, & nolite peccare*, quandoquidem Paullus ipse verba hæc Psalmi 4. expendens ita præceperit Ephes. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Ecquis serio affirmet, super Firmiliani iracundiam Solem non occidisse? Nempe is, qui illud sibi persuadeat, Rogatianum

ſub lucem Cæſaræam perveniſſe; Epiſcopo vigilanti, nec opinanti, diluculo, veluti ſolent comœdiarum, & tragœdiarum Scriptores, literas reddidiſſe, quibus non in traſcurſu lectis, ſed ſæpius repetitis, immo & memoriæ mandatis, Rogatiano ad ſuos redire feſtinante, reſponſo longiori, & ex tempore dato, nihil prorſus præpediente, aut ſenectæ imbecillitate, aut Legati interpellatione, aut quæſtionis magnitudine, demum Rogatianum ſub veſperas profectum fuiſſe, hinc Firmiliano, ira jam remiſſa, non amplius retractandi quæ ſcripſerat fuiſſe facultatem. Annon qui ſic conjiceret apologum magis ageret quam apologiam? Ita plane conjiciat oportet, qui ſolem ſuper Firmiliani iracundiam occidiſſe inficiari velit. Qui ſecus conjicit cicatricem refricat, atque alia diverticula ſibi quærenda ſunt, aliæque flexiones. Quid tandem invenire poſſint, quo Paulli auctoritatem defugiant, & Firmiliani perfectionem ſartam, tectamque cuſtodiant, plane non video. Sed quid ego græcos, latinoſque Patres appello? Quid expendo rationum momenta? Quid docilibus, prudentibuſque Lectoribus moleſtus ſum? Sat mihi ſuperque fuerat Dominica, & Apoſtolica tum præcepta, tum exempla indicaſſe, quibus & maxillam percutienti alteram præbere; & honorem noſtrum ſalvo alieno, & maxime Sacerdotali, tueri jubemur, & maledictum pro maledicto reddere prohibemur. Quod de Paullo Petrum increpante ſubtexitur, aſſentior Harduino docenti: non Petrum Apoſtolorum Principem a Paullo

re-

reprehensum, sed Cepham unum ex LXXII. Christi Discipulis.

Jam ad Magnum Basilium properemus vere dignum S. Firmiliani in Cæsariensi Pontificio Successorem. Qui Epist. 10. hæc de Occidentalibus Episcopis scribit ad Eusebium Samosatenum. *Mihi quidem illud Diomedis subit dicere. Ne preceris quoniam est Vir superbus, nam procul dubio cum lenius tractantur elati animi, solito insolentiores plerumque fieri solent. Etenim, si Dominus sit nobis propitius, quonam alio adminiculo indigemus? Sin autem ira Dei permanserit, quale nobis auxilium ab Occidentalium supercilio, & fastu aderit? qui veritatem neque norunt, neque discere sustinent, verum falsis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ prius in Marcello patrarant, nempe cum iis, qui veritatem ipsis annunciant, contendentes, hæresim autem per se ipsos stabilientes. Ego sane ipse absque communi literarum figura volebam ad eorum Antesignanum scribere.* Nunc dicat quis: Quid Firmilianum damnas, qui Basilium laudas? Mihi vero tam facile est utrumque absolvere, quam literas utrasque proscribere. Cur enim dubitem unius, & alterius nomine vulgatas epistolas pari censura vexare, cum pari vitio laborent? Sed ut mitius agam, epistolam recipio, & Magnum Basilium excuso; enim vero ajo, opportune, sed non acerbe Occidentales Episcopos ab eo perstringi. Quid enim Basilio lenius, aut tollerantius? quippe qui vehementer, ac perpetuo, & quidem injuria ab Adversariis fuerit exagitatus. Nihil enim

prætermiserunt, quo insontem Pontificem, & de Ecclesia optime meritum in summam invidiam adducerent, nunc novæ illum cum Eusthathio collusionis, nunc veteris cum Apollinari necessitudinis, nunc apertæ cum Catholicis simultatis arguentes. Creditus nunc Tritheita, quod Tres Deos admittere, nunc Pneumatomachus quod Spiritus Sancti Divinitatem inficere videretur. Ad hæc mala hoc illi etiam accedebat: A Neocæsariensibus popularibus suis uti hæreticus vitabatur, parumque abfuit, quin a suis ipsius Monachis vitaretur. Quæ omnia Sanctissimus Antistes ægerrime quidem, sed patienter ferens ad Occidentalium fidem, atque opem confugit; sed perperam; nam Damasus Papa, ceterique omnes Occidentales Episcopi, tot criminationum, quæ in Basilium ab Orientalibus offerebantur, fama permoti, omnino ab illo abstinebant, etiam a literarum officiis. Ecquis tam ferreus ut teneat se? Ecquid reliquum erat Basilio? nisi ut amice cum Samosateno Episcopo conquerereretur de Occidentalium fastu, ac supercilio, de crudelitate, qua calumniatoribus suis fidem adhibebant; de animo inofficioso, quod nedum sibi non opitularentur, nedum ad visitandam Orientalem Ecclesiam neminem legarent, sed ne repetitis quidem literis suis responsum darent. Etenim nil quicquam amplius Epistola isthæc ad Eusebium designat. Sed malo, Arianorum præsertim perfidia, ingravescente Epistolam dedit LXXIV. ad Damasum, & Occidentis Episcopos petens, ut visitaretur Orientalis Ecclesia; id si

tum

tum fieri non possit, saltem ut consolatoriæ literæ mittantur. Sed nihilo felicior tum fuit Basilius, quam antea. Quare aliam conscripsit Epistolam, quæ est Num. LXXVII.& Petrum Præsbyterum Legatum mittit ad Damasum, & Occidentales, qua impediri se varie dicit, quo minus, quod adeo optaret, ad eos adiret: deplorat calamitates, conqueritur de obsequiis non exibitis, deprecatur calumnias, paratum se exibet admonitionibus, & correptionibus, fraternam caritatem in mentem revocat, denique obsecrat, ut visitatione, & consolatione Ecclesias Orientales dignetur. Damasum, & ceteros Occidentales, ne tum quidem rescripsisse ingeminatæ querelæ anno posteriori satis indicant, uti ex litteris, quæ sunt primæ in additis, in quibus solos Occidentales puriores remansisse prædicat Orthodoxos, tantum abest, ut hæresis suspectos habuerit.

Sed hæc de Græco, Sanctissimoque Scriptore; nunc quæ de Latinis. Quod opponitur ex Hieronymo petitum exemplum est in speciem difficillimæ solutionis. Extat siquidem primum egregium illud Hieronymi dictum in Epist. ad Pamach. LXI. usu, & ratione probatum. *Nolo in suspicione hæresis quemquam esse patientem*. Dein, si perinde ut est reapse Hieronymi in scribendo acrimoniam diligenter inspiciamus, facile comperiemus unum fuisse veterum omnium Patrum dicacissimum, in quo nec Plauti sales, nec Horatii lepores, nec Juvenalis aculeos, nec Persii iram desideres. Neve rem actam agam, Lectorem ad Theophili Raynau-

di

di Tom. XI. de justa, & injusta librorum confictione remitto; in eo siquidem Vir multo omnium eruditissimus præcipua Hieronymi loca congessit, quibus Ruffinum belle quidem, sed asperius vellicat. Et vere non diffiteor Hieronymi scommata ea esse, quæ si cum Firmiliani conviciis conferantur, facile hæc exæquent, sive etiam superent. Hinc alterutrum fiat oportet, seu utrique parcere, seu utrumque damnare. Attamen plurimis nominibus Hieronymus est absolvendus; plurimis item suppositus Firmilianus damnandus. Quippe multum interest, apertum, acerbumque inimicum remordeas, an Patrem tibi ex caritate exprobrantem. Tum etiam multum lacessitus, an lacessens. Multum deinde a privato quodam homine, an ab habente publicam tibi obsistendi potestatem. Post, non paullum a simplici Præsbytero, an a Petri successore. Tum longe plus per calumniam provocatus, an quoquo nomine, saltem in speciem reus. Ad extremum plurimum interest in fidei, an in disciplinæ controversia. Quibus sedulo perpensis, facile dignoscet eruditus, æquusque Lector, quantum sit Hieronymi caussæ fidendum, quantum sit contra Firmiliani caussæ desperandum.

Sed propius Firmiliano accedere videtur Bernardus, tum in libris de consideratione ad Eugenium Papam, tum in Apologia ad Guillelmum Sancti Theodorici Abbatem. Ac primum in libris de Consideratione in Romani Pontificis incuriam, & Prælatorum malefacta acerbius invehitur, & infe-

fectatur vehementius. Deinde in Apologia, Monachorum Cluniacensium mores, acrius quam Monachum deceat, exagitat; nimirum intemperantiam in conviviis, cultum in vestimentis, luxum in Ecclesiis, atque Oratoriis, ut non immerito hæc Apologia summam Bernardo invidiam conflaverit, atque etiamnum nonnulli contendant, vere mellifluum Doctorem Christiani fervoris terminos prætervectum fuisse. Sed tamen nemo minus supposito Firmiliano opitulatur, quam Sanctissimus juxta ac Doctissimus Clarevallensis Abbas. Satis namque, superque foret dumtaxat illud animadvertere, Bernardum primo ex caritate in Eugenium Discipulum suum opus de Consideratione scribendum suscepisse; post Eugenio ipso suasore, atque impulsore, produxisse, & confecisse. Ast alterum etiam accedit: Bernardus tam prudens, quam qui maxime, intellexit ipse per se, opus istuc aliquatenus contentiosum non omnibus carum futurum peræque ac Eugenio. Iccirco delicatos occupavit Lectores, simulque sese purgavit paucis hisce quidem, sed plenis, & significantibus verbis. *Monebo te proinde non ut Magister, sed ut Mater: plane ut amans. Amens magis videar, sed ei qui non amat, ei qui vim non sentit amoris.* Instet quiscum ipso eodem Bernardo Epist. 395. ad Alvisum Atreb. Episc. *Non sic de caritate præsumendum, ut non etiam Sacerdotali Cathedræ deferatur.* Sed frustra, nemo siquidem unus fuit qui tantum Summo Sacerdoti deferret, quantum in hisce iisdem libris de Consideratione

detulit Sanctus Bernardus in cap. præsertim 8. lib. 2. quod ita exorditur. *Age indagemus adhuc diligentius quis sis* (Eugenium alloquitur) *quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, Tu hæres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Sunt quidem & alii Cœli Ianitores, & gregum Pastores: sed Tu tanto gloriosius, quanto & differentius præ ceteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed & Pastorum. Tu unus omnium Pastor.* Siccine tantundem detulit Stephano Firmilianus? Tum fortasse, cum inquit. *Indignor ad hanc tam apertam, & manifestam Stephani stultitiam, qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit .... Stephanus, qui per successionem, Cathedram Petri habere se prædicat.* Non semel vehementer sum stomachatus, audiens nonnullos, ceteroquin eruditos, uno & altero horum librorum capite abutentes perinde ac si disciplinæ remissio Cathedræ potestatem infringeret, quibus merito Cyprianus irridet de Cardin. Oper. Christi agens de Baptismo. *Scribæ* (inquit) *& Pharisæi in Cathedra Moysi sedentes, dum agunt quæ ad Cathedram pertinent per omnia plenitudine potestatis utuntur, & officium, non vita tantis effectibus honoratur.*

Obe-

Obediunt Dæmones Exorciſtis: Chriſtum, inquiunt ſcimus, & Paullum novimus, & in nomine Chriſti, quem Paullus prædicat, adjurati egredimur, vos autem penitus ignoramus. Ecce in nomine ſuo nihil quæſtuarii peragunt exorciſtæ, nec ſe eis deferre ipſi Dæmones profitentnr, ſed nomen Chriſti etiam per lucrorum ſectatores ſuæ gloriæ retinet poteſtatem. Diſcant porro delicatuli iſti, qui vitium cum Perſona, & mores cum dignitate confundunt ex Tacito lib. 4. Hiſtor. *Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, & cetera naturæ mala, ita luxum, vel avaritiam Dominatium tollerare. Vitia erunt donec homines, ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur*. Ceterum ad Bernardum quod attinet, Nicolaus Faber in Epiſt. ad Gerardum Voſſium, qui hos libros de Conſideratione Romæ ſeorſim edidit, & Clementi VIII. nuncupavit, affirmat Auctorem Bernardo fere æqualem eos appellaſſe *Deutoronomium Summorum Pontificum*. Et quidem auſpicato, nam ex monito Johannis Horſthii ad Lectorem poſt Eugenium III. familiariſſime iiſdem libris uſi ſunt Nicolaus V. Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VII. Gregorius XIV. & Clemens VIII.

Nec majus Firmiliano præſidium affertur per Apologiam ad Abbatem Guillelmum, quandoquidem Bernardus ipſe ſeſe purgaverit in ſex prioribus capitibus, ſed plane egregie in fine Cap. VII. *Noſtros* (inquit) *de quibus conqueſti eſtis, quod ordini veſtro detraherent, ſatis quantum potui ſtilo corripui; & me quoque ab hujuſmodi falſa*

 ſu-

ſpicione purgavi, ut debui. Sed quoniam dum noſtris minime parco, nonnullis de veſtris nimium, in quibus non decet, videor aſſentire, pauca quæ, & vobis diſplicere cognovi, & omnibus bonis vitanda eſſe non dubito, neceſſarium reor ſubjungere: quæ quidem etſi fieri videntur in ordine, abſit tamen ut ſint de ordine. Nullus quippe ordo quidpiam recipit inordinatum: quod vero inordinatum eſt ordo non eſt. Unde non adverſum ordinem, ſed pro ordine diſputare putandus ero, ſi non ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus ordinem in hac re moleſtum me fore non timeo: quin immo gratum procul dubio accepturi ſunt, ſi perſequimur quod, & ipſi oderunt. Si quibus vero diſplicuerit; ipſi ſe manifeſtant, quia ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem, ideſt vitia damnari nolunt. Ipſis itaque illud Gregorianum reſpondeo. Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur. Et in fine Cap. XIII. *Quæ in veſtris laudabilia ſunt laudo, & prædico: ſi quæ reprehendenda ſunt, ut emendentur, vobis & aliis amicis meis ſuadere ſoleo. Hæc non eſt detractio, ſed attractio.* In hoc primo refutando argumento paullo diutius, quam in reliquis ſum immoratus; quod animadverti: Cypriani Adnotatores, cereroquin doctiſſimos, in notis ad hanc ipſam Firmiliani Epiſtolam, id ſolum enixe conari, ut probent: talem, ac tantam dicacitatem non officere Firmiliani Sanctitati. Officiat vero nec ne, eorum judicium eſto, qui nullo ſtudio partium abepti mea, mihique adverſan-

ſan-

santium dicta eadem trutina pensarint. De Epistola Cypriani ad Pompejum non est hic differendi locus; sed institutum est alterius dissertationis. Etenim cum in eodem argumento, eodemque fere stilo versetur ac Epistola Firmiliani, eadem prorsus censura expendenda est.

Tertium argumentum suppeditat Baluzius in notis ad ea verba *Pseudo-Christum, Pseudo-Prophetam, dolosum operarium*. Ad quæ Christianus Lupus in librum Tertulliani de præscriptionibus, mentem appellens, dubitare se ait in Scholiis suis an Epistola Firmiliani sit vera. *Tamen*, subnectit Baluzius, *nemo hactenus ante Lupum id sibi sumsit, ut dicere auderet eam esse falsam, aut de ejus auctoritate dubitaret. Et certe ista facilitas accusandi falsitatis scripta veterum Patrum valde temeraria est, & periculosa. Nam si cuique liceat inanes ejusmodi conjecturas sequi, nullum erit antiquitatis monumentum, quod iniquas suspiciones effugiat*. Hæc Baluzius.

Quæ Baluzii animadversio proba quidem est; sed importune pronunciata. Etenim ex Christiani Lupi dubitatione non minuuntur suspicandi caussæ, sed augentur. Lupus namque, ut si quis alius Ecclesiasticarum rerum peritissimus, ob tria tantum verba suspicatus fuit, an hæc Epistola Firmiliani sit vera, quam Epistolam obiter tantum percurrerat; quanto magis dubitasset, si sedulo, & ex instituto illam evoluisset? veluti nos evoluimus. Propterea nec quisquam ante Lupum id sibi sumsit, ut falsam demonstraret. Ego ve-

ro, si per Baluzium licet, mihi sumsi, ut illam falsam esse, dicerem, probaremque. Num ego audacior quam ceteri? at tanto omnium justior, quod non secutus sum leves conjecturas; si tamen levia dicenda sunt, Pontificem Romanum ab Episcopo Catholico, & Sancto appellari imperitum, animosum, apostatam, schismaticum, hæreticum, hæreticis pejorem, pseudo-Christum, pseudo-Apostolum, dolosum operarium. Leves ne erunt conjecturæ tot mendaciorum cumulus; tot, tantorumque Scriptorum silentium tantum; Tot demum pronunciata, quorum quæ pias aures offendunt, quæ probos mores inficiunt, quæ schismati favent, quæ plane schismatica, quæ sapiunt hæresim, quæ veluti hæretica damnata. Si hæc levia habenda sint, quid tandem grave Baluzio esse potest? Verum si quæ nos conjecimus a Baluzio perlegerentur, forte fortuna, non adeo levia, nisi me valde amo, a viro doctissimo censerentur existimo; præsertim cum videam plurima veterum Patrum monimenta, quæ jamdudum Majoribus nostris vera, & nativa visa sint, ob unam, & alteram conjecturam, eamque non gravissimam ab eruditis viris veluti notha repudiari. Quorum nonnulli S. Cypriani librum ad Novatianum ad spuria rejiciunt ob duplicem hanc conjecturam. Primum, quod non *Novatianenses*, sed *Novatianos* eos appellarit, qui Novatiani partibus studebant. Deinde quod apocalypsim bis sub nomine Sancti Johannis, quater nullo Auctoris nomine adduxerit. Quas tamen conjecturas Tillemontius, nec

pror-

prorſus probat, ſed nec plane damnat. An vero, quas de Firmiliani Epiſtola ipſe protuli conjecturas nihilo plus iſtis pendendæ ſint, non meum eſt judicare.

Quartum argumentum eo vergit, ut Baluzii ſententiam confirmet, quod ut præſtet conſenſionem præfert Adnotatorum, & Illuſtratorum Cypriani, Pamelii præſertim [ut reliquos bene multos prætermittam] Rigaltii, Fellii, Pearſonii, ipſius Baluzii, ac Tillemontii, qui omnes Firmiliani dicteria uno ore excuſarunt, & in æſtum diſputationis traduxerunt; a quorum opinatione ſi quis recedat, verendum ei eſt, ne audacior habeatur aut confidentior quam ceteri.

Sed hoc effugium facile præcluditur. Tantam ſiquidem tantorum hominum conſenſionem appellare præſtat, verius, quam Auctor Epiſtolæ ad Pompejum, *Vetuſtatem erroris*. Profecto ſatius fuiſſet, Cyprianicos Adnotatores, atque Editores Latinio cum Aldo conſenſiſſe, quominus hanc Epiſtolam evulgarent. Pamelius quidem Latinio aut major, aut ſuppar, faſſus eſt, ſe illam fuiſſe omiſſurum, niſi jam pridem a Morellio edita forer. Baluzii vero, & Rigaltii auctoritas hoc loco me non nimium movet, quorum nonnihil intererat, has literas veras eſſe, atque vocari; quorum etiam ſubdolus, & vafer animus nullo negocio dignoſci poteſt in adnotationibus ad hanc ipſam Epiſtolam. Quid dicam de Fellio, ac Pearſonio hominibus etherodoxis, & in Sedem Apoſtolicam communi, & acerbiſſimo odio æſtuantibus.

Con-

Congruenter hic, & apposite dicere lubet cum Augustino lib. de prædistinat. SS. cap. 14. *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam hæc disputatio oriretur non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur*. Et sane multum interest universa cujuspiam Auctoris opera adnotes, an unicum monumentum excutias. Illud leviter, & per transennam, ut ajunt, percurritur, hoc circumspecte, & elaborate præstatur. Sed & illud dicere juvabat: Rigaltium universam hanc Epistolam a Cypriano confictam esse non obscure, sed nec jure suspicatum fuisse, uti ex numero postremo Capitis I. Demum non illud nobis propositum est, ut hanc Epistolam rejiciamus ea dumtaxat ratione ducti, quod maledicus animus non bene cum Sanctitate conveniat; sed multa deinceps reliqua sunt argumenta, eademque nec levia, nec minora, ad quæ huic Epistolæ patrocinantibus omnino reponendum esset, tametsi ab illius Auctore maledici labem averterent.

Quod quinto loco opponitur per Baluzium eo gravius videri potest, quo magis obvium est. Succenset Baluzius Latinio, quod auctor fuerit, ne Firmiliani Epistola cuderetur in Aldiana editione, his verbis. *Neque propterea tenebris damnandum esse putassent illustre hoc antiquitatis monumentum, in quo sane bene multa sunt magni momenti, quibus hodie careremus cum grandi rerum nostrarum jactura, ut in simili argumento censuit Sirmondus*

edens

edens in lucem libellum precum Marcellini, & Faustini adversus Papam Damasum.

Nunc cominus agendum; Tria siquidem in hac responsione vestiganda sunt, ut objectationi subserviamus. Primum an illustre sit antiquitatis monumentum? Tum quænam sint hæc bene multa magni momenti? Post num impune, quin & laudabiliter vulgari potuerint? exemplo libelli precum Marcellini, & Faustini a Sirmondo editi. Principio igitur, quod Firmiliani Epistola illustre sit, per me licet, antiquitatis monumentum, id potius probat, non fuisse occultandum; at Firmiliani esse neutiquam probat. Fieri enim potuit, ejus Epistolæ confictorem multa de industria annexisse, quæ eorum temporum, quæ litteræ præferebant, antiquitati responderent. Eo etiam verosimilius, quo non ab aliis sane, quam a Donatistis, qui a Firmiliani ætate non longissime aberant, hæc Epistola confingi potuit. Ideo non est hic pluribus immorandum.

Quamobrem ad id, quod summum est, descendamus. Vide inquiunt, quæ, & quanta monumenta antiquitatis exciderent: de Eucharistia, quod est maximum in Ecclesia Catholica: de Conciliorum quotannis celebratione: de hæresi Cathaphrygum: de persecutione Maximini: de terræmotibus in Oriente: de Femina illa venefica, & pseudo-propheta: de Exorcistarum in Dæmones virtute: de pace perpetuo a Stephani Decessoribus cum Orientalibus servata: de Paschæ celebratione secus ab Romano ritu: de Afrorum

legatione ad Romanam Sedem: de hæresi multiplici; ac de aliis quibusdam, quæ sane ignorarentur, si hæc Epistola confictionis convinceretur. Verum enim vero, qui sic arguunt, imponunt: etenim ut eodem ordine reponamus. De veritate Corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistia aperte, & pluribi agit Cyprianus [quidquid Fellus reclamet] præcipue Epist. X. ad Martyres, & Confessores. Epist. LIV. ad Cornelium. Epist. LXIII. ad Cæcilium Epist. LXX. ad Januarium, & libro de Lapsis. De Conciliorum quotannis celebratione divinatio est Rigaltii, cui non minus, quam illi adstipulantibus repugnat tam modicus Synodorum numerus.

Pro hæresi Cataphrygum non opus est confugere ad Firmiliani Epistolam? Ecquæ unquam hæresis bone Deus, a pluribus, majoribusque Patribus pertractata est? III. Ecclesiæ sæculo ab Irenæo, a Tertulliano, a Clemente Alexandrino, & ab Origene. IV. vero a Concilio Nicæno, ab Eusebio præsertim, ab Hilario Pictaviensi, ab Athanasio, a Basilio, & a Philastrio. V. item retractarunt S. Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, Isidorus Pelusiota, Socrates, & Sozomenus, Cyrillus, ac Theodoretus. Persecutionis Maximini meminit Euseb. l. 6. cap. 21. qui ibidem perhibet, Origenem occasione tam diræ tempestatis librum scripsisse de martyrio. Terremotus in Oriente ingentes fuisse refert Origenes in Johan. Feminæ veneficæ factum, quod uti præcipuum exscriptum fuit a Tillemontio, cum Prisca, & Maximilla confundi, quantum conjectura assequi

po-

potui, superius adnotavi. Exorcistarum in dæmones virtutem diserte tradit Cyprianus contra Demetrianum. An ante Stephanum Romani Pontifices pacem cum Orientalibus perpetuo custodierint, actum est cap. superiori num. X. In iisdem notis abunde egimus de Quartadecimanis, de Afrorum legatione, & de multiplici priorum temporum hæresi, quæ nil quicquam proficere suppositæ Epistolæ, sed officere magis ostensum est. Quorsum ergo necessaria hæc Epistola ad servanda antiquitatis monumenta? Annon multo plura, & quidem inconcussæ fidei præstat substituere ad ea ipsa, quæ laudantur, confirmanda?

Quod postremo loco adducitur Sirmondi exemplum in editione libelli precum Marcellini, & Faustini adversus *Damasum*, quid conferre possit ad veritatem Firmilianicæ Epistolæ plane non video. Aliud quippe est, non fuisse occultandum tam illustre antiquitatis monumentum, atque item aliud hoc monumentum ejus esse, cujus esse perhibetur. Primum lubenti animo admittimus; alterum negamus de Firmiliano, dubitamus de Marcellino, & Faustino. Poterat itaque Firmiliani Epistola excudi, sed inter spuria; sin minus inter dubia connumerari.

Sextum argumentum invehitur in eas rationes, quibus Cap. I. conjecimus, nec ante Nicænum in Oriente, nec ante Donatum in Africa controversiam de Anabaptismo pertractatam fuisse. Nam Firmilianum ab Origene instructum, & Cyprianum a Tertulliani libris edoctum satis compertum

est. Ex quo illud ut minimum consequitur: vere ante Firmiliani, & Cypriani tempora apud Orientales, & Afros hoc Rebaptizantium dissidium extitisse.

Sed neque hoc argumentum tanti est, ut meam sententiam Cap. I. constitutam, ac demonstratam, nonnihil dejiciat. Etenim si quis Origeni Anabaptismum affingit, veluti quispiam mihi videtur affingere, (nisi me hæc scribentem memoria fallit,) non id certo quodam monumento astruit, sed suspicione tantum attingit; nimirum ex Firmiliani contubernio, quo Origenes aliquando usus est. Ceterum si ejus opera excutiantur, quemadmodum Huetius omnium diligentissime excussit, nihil tale deprehenditur. Huetius inquam lib. 2. Origenianorum cap. 2, quod in quæstiones quatuordecim partitur, singulos Origenis errores expendit; quæstione item 14. quæstiunculas aliquas quasi per saturam complectitur; at neutrubi anabaptismum commemorat; qui tametsi apud Origenem deprehenderetur, non statim Firmiliano prudenter communicaretur; quandoquidem neque ab ipsis Orientalium anabaptismi ante Nicænum Assertoribus expresse adscribitur hic error Dionysio Alexandrino, præcipuo Origenis discipulo, quem iccirco Anomæorum Parentem appellat S. Basilius Epist. 41. & Arianismi fontem Gennadius lib. 2. de Dogmat. cap. 2. quibus tamen criminationibus vendicant Dionysium Athanasius, ac Hieronymus. Præterea multa occurrunt in Origenis lectione hæc falsa, illa suspecta, quæ Rufini perfidiæ adjudicanda sunt: non pauca item Origenis

no-

nomine circumferuntur,quæ verius Origeniſtis ſunt aſſignanda. Ad Tertullianum quod attinet, non abeſt ab injuria eorum opinatio, qui quod Cyprianus Tertulliani libris ſit delectatus, Anabaptiſmum ab iſtiuſmodi lectione hauſiſſe autumant, ut propemodum exiſtimandum ſit: SS. Cyprianum, nedum Anabaptiſmum, ſed & Montaniſmum ex Tertulliano ſuxiſſe; quando hæc una Tertulliano oblata eſt cauſſa, cur Anabaptiſmo conſenſerit, quod in Montani partem abjerit. Nam Philaſtrius de Montaniſtarum erroribus agens, refert: Montaniſtas in Oriente rebaptizare conſueviſſe. Hinc duplex eruitur conſecutio. Primum, Tertulliani ſententiam de baptiſmo iterando Montaniſtarum figmentis fuiſſe accomodatam; cujus conniventiæ magno eſt argumento ea Tertulliani proteſtatio de Bapt. cap. 14. *Sed de iſto* (inquit) *plenius jam nobis in græco digeſtum eſt.* Quæ autem cauſſa Tertulliano ſubeſſe potuit,cur græcum commentarium Homo Latinus ederet pro Anabaptiſmo? niſi ut Cataphrygum ſententiam de iterando baptiſmo a Græcis Catholicis oppugnatam græco ſermone oppugnaret. Quum vero exploratum ſit, Firmilianum, atque Helenum, ceteroſque Græcos Antiſtites uno, & altero Concilio Cataphrygum hæreſes condemnaſſe, quis id ſibi ſerio perſuadeat? omnes illos Orientis Epiſcopos Firmilianum præſertim, atque Helenum huic errori Cataphrygum adhæſiſſe. Quid quod Montaniſtæ Tertulliani opem uſque ab Africa implorarunt? ſi Orientalis Antiſtites, iidemque illuſtriores, atque do-

doctiores eorum caussæ patrocinabantur. Quid quod Tertullianus commentarium suum græce conscripsit? nisi ut cum Græcis Anabaptismo adversantibus disceptaret. Hinc alterum necessario consequitur: Romanis Pontificibus, Patribusque Orientalibus, si qua illis fuit in Oriente super baptismo contentio, non cum aliis sane fuisse, quam cum Montanistis, Philastrio perhibente, ac Tertulliano ipso indicante.

Postremum pro hujus Epistolæ veritate argumentum suppeditat ipse idem Baluzius, ait namque in suis notis. *Epistola Firmiliani inventa est in viginti sex Codicibus MS.*

Vere Baluzius nil sibi reliqui fecit, quo hanc Epistolam ut verum Firmiliani opus eruditis obtruderet. Epistola Firmiliani inventa est in vigintisex Codicibus MS. Quid postea? num iccirco vere a Firmiliano conscripta erit? Quæ est hæc consecutio? An Baluzium virum emunctæ naris præterire potuit, hanc conjecturam esse omnium levissimam? Quandoquidem plurima tum Augustini, tum Cypriani, ceterorumque Patrum nomine primitus circumferebantur, quæ tamen hoc tempore communi eruditorum calculo inter notha, & apocryfa recensentur, tametsi in sexcentis Codicibus MS. deprehendantur, immo & in excusis, atque recusis. Præterea non nihil miror, Erasmum, qui tot MS. Cypriani Codices versavit, Codicem ne quidem unum offendisse, in quo tam jactatam Epistolam comperiret.

Laus

Laus Deo, ac Deiparæ Virgini Beatiſſimæ; nec non Sanctæ Tereſiæ, meæ apud Deum Patrem principi, & certiſſimæ Patronæ, in cujus feſto die abſoluta eſt hæc Diſſertatio.

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. Fra Tomaso Maria Gennari Inquisitore, nel Libro intitolato: *In Epistolam S. Firmiliani Cesareæ Cappadocum Episcopi ad S. Cyprianum &c. Dissertatio F. Raymundi Missori Franciscani Conventualis*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi; concedemo Licenza a *Francesco Pitteri Stampatore*, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 27. *Nov.* 1732.

[Gio: Francesco Morosini Cav. Ref.
[Alvise Pisani Cav. Proc. Ref.
[Pietro Grimani Cav. Proc. Ref.

Agostin Gadaldini Segr.